



FRANCISCI
GRIMALDI
SOCIETATIS JESU.
DE
VITA URBANA
LIBRI QUINQUE.





ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis in Via è foro Rotundæ ad Seminar. Romanum, Anno Jubilæi MDCCXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

FRANCISCO
GRIMALDI

Ex Marchionib. Petræ, S. Angeli, S. Felicis &c.

FRANCISCUS GRIMALDI SOC. JESU S. D.

Quod diu mecum optaveram, ut meæ scilicet in te observantiæ pignus aliquod à me proficisceretur, stabile illud quidem ac diuturnum, non fluxum ac caducum, quo testatam omnibus vellem meam summam erga te benevolentiam cum pari virtutum tuarum commemoratione conjunctam, non tam id casus effecit, ut aliquando præstare possem, quàm mea me voluntas, ratio, ac consilium, ut id

tandem facerem, impulerunt. Dispersæ jacebant (quod Tu non ignoras) ac meis in Adversariis nullo delectu conditæ quædam de Urbanâ Vitâ Lucubratiunculæ meæ, quas ut subito impetu effusas probare forsitan velles, ad subtilioris tamen acumen judicii revocatas, erat quod multis partibus improbares; certè ejusmodi, ut, si unum in locum redigerentur, modici libelli magnitudinem adæquarent. Quumque permulti non deessent, qui, ut illas publici juris facerem, partim benevolentiâ, quâ in me erant, singulari, partim eâ, quâ apud me plurimùm possent, auctoritate contenderent; atque in eam rem quotidie faces ac stimulos admoverent; contra tamen iis obstabam ac repugnabam unus, quod dicerem, eas humili stylo contextas oblivioni potiùs mandandas, quàm in luce Hominum collocandas esse; præsertim cùm nec teretes hujus sæculi aures implere possent; & apud certos homines, qui hac ætate Principatum sibi quendam Literarum asserunt (quo jure Deus scit) durissimum illis judicium esset subeundum. Illi vero urgere, indignum clamantes, perire opus, sin minùs, ut ego vellem, excultum, ac perpolitum, frugiferum tamen atque utile; & quo, si locupletiores latinæ Musæ cernerentur, suo in instituto, a quo jam-

pri-

pridem desciverant, permanere viderentur; non inanes modò flosculos colligendi, sed salutiferas herbas, & plurimis hominum morbis medendis profuturas; non extimam rerum umbram captandi, sed ipsum in nucleum altiùs penetrandi; non inutilia denique consectandi argumenta, sed solida; quæque singularem haberent admixtam cum jucunditate salubritatem. Addebant illud postremò, quo plurimùm permovebar, Rusticitatem morum, cui ego essem infensissimus, quamque meis in libellis ad ludibrium usque traductam viderent, hoc veluti aggere detracto, erupturam impuniùs, atque ad perniciem Juventutis, cui maximè consultum vellem, grassaturam; Urbanitatem verò, quam cum in me, tum in aliis plurimùm adamarem, iis cariturum præsidiis, quæ si adessent, quamvis illa suâ se satis luce commendaret, aliquantò tamen plus illi per me stabilitatis ac firmitatis accederet: itaque unâ eâdemque operâ & Inimicorum causam sublevatam esse dicebant, & Amicorum proditam atque desertam: quod turpissimum esset prævaricationis genus. Quæ a me non eò nunc dicuntur, quò vel affectatæ cujusdam modestiæ laudem in vulgus aucupari studeam, vel eorum consuetudinem imitari, qui, cùm nihil æquè, ac quod noctu pepererunt, sum-

mo diluculo foras efferre; ac per manus Hominum tradere, ardenter ipsi velint, atque avidè concupiscant, Amicorum precibus, quibus recusandi religio ipsis esset, ad id faciendum adductos se esse dicant: a quo ego absum quàm longissimè: & certè nunc non dicerem, nisi & res ita esset, & plurimorum eruditissimorum Hominum, quorum consuetudine valde utor, in cognitione atque ore versata; quos quidem nihil est, cur impudentiæ meæ Testes certissimos esse malim, quàm veritatis. Quid plura? Eo loci res erat, ut de hujus libelli editione aliquando adornandâ, nemo non diffideret. Cum, ecce tibi, tuæ me amantissimæ literæ, eæque non unæ, sed plures, quibus, quum pro tuo jure vel recusantem cogere posses, Auctor tamen mihi eras, ac tantùm non beneficii loco petebas, ut qualescumque hos industriæ meæ fructus diutiùs ne premerem, sic cunctantem ac diffidentem excitarunt, ut in alium planè hominem Circæo tanquam poculo afflatum, me derepente mutatum conversumque esse sentirem. Sic enim mecum ratiocinabar ipse, si, quod aliis id a me petentibus denegarim, huic uni concessero, iis præsertim, quas ante dixi, rationibus spretis atque contemptis, erit, credo, ut quanti illum faciam, quâ sim in eum observantiâ, quæ,

mea

mea in illum benevolentia, quæ vicissim sua in me sit auctoritas; specimen sit capturus certissimum, quum in eâ re me vicero, quæ non levis momenti sit, sed ad Ingenii, id est, præstantioris Hominis partis existimationem pertineat; quam & si privatis de me judiciis hactenus tueri nescio quo casu contigit mihi, non ita facilè sustinere possem publicis; apud quæ si semel offendas, nullum supersit perfugium aliud, in quod te recipias, nullum Tribunal aliud sit relictum, ad quod jure possis provocare. Itaque, ut in fabulis est, Eriphilem aureo monili captam, Amphiaraum conjugem ad id bellum pertraxisse, quod is improspere sibi casurum propter divinandi scientiam multò ante præscisceret, sic vereor, ne tui ego favoris aurâ plusculum fortasse provectus, quàm deberem, suavissimæque gratiæ tuæ aureis tanquam vinculis delinitus eam cum omni Posteritate dimicationem susceperim, in quâ mihi de meis hisce ingenii monimentis, vigiliis, laboribus miserè sit periclitandum. Sed isthæc missa tandem faciamus, nè aut plus justo longior sim, aut de me ipso prudens malè ominari velle videar. Sequitur illud alterum, quod nonnullos in ipso evulgandorum libellorum suorum limine solet habere suspensos, atque solicitos, cui potissimum

vigilias suas inscribant, ac cujus sese in fidem recipiant, ac patrocinium. In quo mihi rem hærere neutiquam sensi. Quum enim non tam exquisitam generis amplitudinem, bene partas ac fundatas opes, splendidas affinitates, summos Rerumpublicarum Magistratus, Præfecturas, Imperia, purpureas togas, jus ac ditionem in oppida, mihi sectanda proponerem; quæ quidem ornamenta tum Virtutis tum Fortunæ in Te, Majoresque tuos plenâ manu congesta nemo non videt; quàm id præcipuè spectarem unum, ut ejus potissimum in nomine is liber appareret, cui, propter earum, quæ hic pertractantur, virtutum similitudinem maximè conveniret, Tu occurrebas unus ex omnibus, cui & propter benevolentiam illum vellem offerre, & propter tuorum decorum cum iis, de quibus hic agitur, summam quamdam cognationem affinitatemque deberem. Morum enim amabilitas ac candor tuorum, suavitas colloquii, convictûsque tui omni gratiarum sale condita; gravis illa tua, atque in hoc Adolescentiæ flore sibi ex omni parte constans in omnibus dictis factisque moderatio, quâ fit; ut neque Te totum ita prodas, ut tuarum virtutum splendore alios perstrictos velis, neque ita Te callidè occultes, ut plus justo quæsitæ modestiæ in crimen incurras; comitas

Ti-

Tibi perpetua ac singularis; eaque ut in assentationem minimè projecta, sic ab omni Rusticitatis suspicione disjuncta, ac dirempta; Vitæ denique tuæ ratio omni officiorum mediocritate temperata; Ea sunt ejusmodi, ut hæc non ad alios informandos hîc a me congesta, sed a te expressa, ut iterùm Tui meis in libellis absolutissimum exemplar proponeretur, commodataque esse videantur. Quod si hæc tam præclara ac divina bona cum Nobilitate venire, ac cum sanguine hauriri universa intelligerem; næ tu felicior fortasse, quàm laude dignior viderere. Sed contra reputans, quum animadvertere aliquando liceat, homines summo licet loco natos ita vivere, ut perpetuam ex oculis arrogantiam spirent, in omni gestu motuque corporis contumaciam quamdam, jactationemque circumferant; quosque si intus excusseris præter eam, quam ipsi non fecerunt, ut cum Cicerone loquar, Appietatem ac Lentulitatem, nihil in iis invenias aliud, quàm totidem Turpilios ac Labeones; statuo sic, Nobilitatem atque amplitudinem generis ejusmodi esse, ut nisi debitam illam quidem, & expectatam ab omnibus afferat vitæ morumque gravitatem, nemo connivendum putet; atque eos, qui secus fecerint, non tanquam pollutæ rei omnium pulcherrimæ continuò

reos

reos arguat; idemque sic affirmo; multùm illam ad bene ornatèque vivendum conferre, vel propter eam, quam a summis Viris trahat, sanguinis communionem, vel propter institutionem, disciplinamque puerilem, quam apud suos meliorem perfectioremque habere potuit: sed nisi ad hæc Fortunæ bona usus, rerum omnium artifex ac præclarissimus effector accesserit, crebraque, tanquam fertilis terræ, sic morum cultura diligens, ac conformatio; eam nihil valere, ac, quemadmodum unguenta optima negligentiùs asservata si sint, degenerant, ac corrumpuntur, sic illam ornamentorum suorum luce destitutam, magnam partem deteri, atque obsolescere. Quæ a me in eam partem dicta velim accipias, ut, quum plenos dignitatis, plenos castimoniæ, plenos suavitatis mores tuos optimos ac præstantissimos in mentem revocaveris, non tam Nobilitati tuæ, quæ in Te eximia est, atque excellens, non tam educationi, quæ Tibi a puero planè contigit liberalis, quàm virtutibus tuis, a quibus id habes munus multò luculentissimum, gratulere. Accipe tu igitur eum Librum, qui multis Tibi nominibus debitus est, ac propterea tuum: tuum, voluntate ejus, qui illum scripsit; quòd meæ in Te observantiæ pignus continet certissimum, tuum;

tuum

tuum denique imitatione earum virtutum, quarum hic specimen aliquod proponitur; in Te vero speciem ipsam intuemur, omnibus numeris expressam ac perpolitam. Quidquid vero utilitatis, quidquid frugis, si quidem in manus hominum ille pervenerit, legentibus olim sit allaturus, id omne Tibi acceptum ferant uni; fructumque illum esse noverint, immaturum licet ac præcocem, sed fructum tamen, tuæ, qui a me illum suavissima quadam vi expresseris, Auctoritatis. Nam, ut quæ humilia sunt ac jacentia erigere, quæ curta atque biantia explere possim, ornem denique, contraham, dilatem, quæ iis remediis egere videbuntur, tempus abiit id admonendi. Explicatis jam velis, instructoque remigio navigandum est mihi, Portusque relinquendus. Quod si e terrâ nunc primum solventi, atque in turbulentissimum illud Literatorum Hominum salum ingredienti, tui favoris aura aspiraverit, si minus illud directum ad gloriam iter tenere potuero, Hominum meis hisce vigiliis jure detrahentium exclusus judiciis atque rejectus; satis illud mihi superque sit, si, quod navigantibus sæpe accidit, ut a portu, quem petebant, vi tempestatis exclusi, in amœnam tamen aliquam Insulam aut Regionem deferantur; sic ego, si minus,

nus,

nùs, ut dicebam, prædicationem mihi ex hac re, famamque colligam aliquam, quam quidam susceptorum priùs laborum fructum valde expetendum putant, atque incitamentum novorum, in tuæ saltem Humanitatis sinu, ac Benevolentiæ conquiescam.

MI-

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS
Præpositus Generalis Societatis Jesu.

CUm Librum, cui titulus: De Vita Urbana Lib. V. à P. Francisco Grimaldi Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint; & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut Typis mandetur; si iis, ad quos pertinet ita videbitur: cujus rei gratia, has Literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 4. Januarii 1724.

Michael Angelus Tamburinus.

Im-

Imprimatur,
Si videbitur Reverendissimo P. Mag. Sac. Pal.
Apostolici,

N. Baccarius Episc. Bojanen. Vicesg.

Libros quinque de Vita Urbana, a clarissimo Viro Francisco Grimaldi Soc. Jesu Elegiaco Carmine eleganter conscriptos, demandante Reverendissimo P. Fr. Gregorio Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistro, perlegi; & nihil, quod orthodoxæ Religioni, morumque disciplinæ adversetur, offendi. Ideo egregium Opus, politioris Vitæ æque ac latinæ Poeseos Studiosis apprimè gratum, atque utile futurum, prælo excudendum censeo. Romæ sexto Idus Sextiles MDCCXXIV.

Antonius Franciscus Felici;

Ju-

JUbente Reverendissimo Patre Gregorio Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistro, legi Poeticum Opus de Vitâ Urbanâ Authore eximio Vate Francisco Grimaldi Soc. Jesu, illudque non tantum Fidei dogmatibus, morum integritati, & Principum obsequio consentaneum, verum etiam ad fovendam Religionem, mores instruendos, virosque principes meritis laudibus exornandos affabrè elaboratum reperi. Quapropter ut in lucem edi debeat Opus hoc præclarissimum censeo. *Omne* siquidem *tulit punctum* Poeta hic noster *qui miscuit utile dulci Lectorem delectando pariterque monendo*. Romæ ex Ædibus Mediceis tertio Kal. Septembris MDCCXXIV.

Michael Joseph Morei.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sacri Palat. Apost. Magister.

DE

Imprimatur,
Si videbitur Reverendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apostolici,

N. Baccarius Episc. Bojanen. Vicesg.

Libros quinque de Vita Urbana, a clarissimo Viro Francisco Grimaldi Soc. Jesu Elegiaco Carmine eleganter conscriptos, demandante Reverendissimo P. Fr. Gregorio Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistro, perlegi; & nihil, quod orthodoxæ Religioni, morumque disciplinæ adversetur, offendi. Ideo egregium Opus, politioris Vitæ æque ac latinæ Poeseos Studiosis apprimè gratum, atque utile futurum, prælo excudendum censeo. Romæ sexto Idus Sextiles MDCCXXIV.

Antonius Franciscus Felici;


Ju-

JUbente Reverendissimo Patre Gregorio Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistro, legi Poeticum Opus de Vitâ Urbanâ Authore eximio Vate Francisco Grimaldi Soc. Jesu, illudque non tantum Fidei dogmatibus, morum integritati, & Principum obsequio consentaneum, verum etiam ad fovendam Religionem, mores instruendos, virosque principes meritis laudibus exornandos affabrè elaboratum reperi. Quapropter ut in lucem edi debeat Opus hoc præclarissimum censeo. *Omne* siquidem *tulit punctum* Poeta hic noster *qui miscuit utile dulci Lectorem delectando pariterque monendo*. Romæ ex Ædibus Mediceis tertio Kal. Septembris MDCCXXIV.

Michael Joseph Morei.

Imprimatur.
Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sacri Palat. Apost. Magister.

DE



DE VITA URBANA

LIBER PRIMUS.

SI quis erit leges Urbanæ diſcere Vitæ
  Qui velit, ut mores exuat arte feros;
Quos mihi dictavit gracilis modo Muſa libellos,
  Perlegat, & lecto carmine cultus erit.
Per me Ruſticitas procul urbibus exul abibit;
  Stabit & in toto candidus orbe pudor.
Dicam ego; quo Procerum celebranda palatia cultu,
  Sectus & officiis totus ut annus eat.
Quo ſint fonte ſales, riſuſque, jocique petendi,
  Quique lepor deceat mutua verba, canam.
Veſtibus ornatus, cultuſque accedet honeſtis;
  Corporis & geſtus quilibet aptus erit.
Per me læta ſuos relegent convivia ritus;
  Et numeris diſces fervere, Bacche, meis.
Vos modò jam Pindo tandem huc properate Camœnæ:
  Dumque licet, medià figite in urbe lares.
Rura ſequi ſemper, montanaque culmina vultis?
  Sic odio vobis civica turba ſumus?
Forſitan inſulſi quòd quiddam ruris oletis,
  Hinc non nemo colit numina veſtra minùs.
Atque aliquis; montes quid ruſtica turba, Puellæ,
  Incolitis? labor eſt tam procul ire mihi.
Viſite vos urbes, faſtidia vincite vulgi:
  Nec pigeat noſtras ire, redire domos.
Roma favet vobis; tanto ſub Principe cives
  Eſſe, ſub hoc Urbis præmia ferre licet.

Ergo, cæsariem discrimine fingite justo:
  Perque levem serpant pallia longa togam.
Sit decor in gestu; certo vestigia passu
  Figite; molle fluant brachia, molle manus.
Ite salutatum, deducite, publica vitæ
  Munera per certas, ite, agitate vices.
Jungite sermones, convivia inite frequenter,
  Sed gratìs; Vates indiga turba sumus.
Spernite Thespiades, Parnassicolæque vocari,
  Dicere queis majus nomen ab Urbe licet.
Urbanum mihi crescit opus; sale spargite versus
  Urbano; vates dicar & Urbis ego.
Urbanum mens volvit opus; mihi pandite mores
  Urbis, & urbanum nomen habete Deæ.
Fallimur, an doctæ Pindo venere Puellæ?
  Quis prior àt fessas sistet in urbe Deas?
Excipe tu timidas pariter cum vate Camœnas
  O Casa, Thyrreni fama, decusque soli.
Tu dux esto viæ, tu lampada præfer eunti,
  Dexter & inceptis grandibus affer opem.
Non temere eligeris; dubitanti nuper, Apollo
  Est Casa, quem, vates, jure sequaris, ait.
Hoc duce Saturni grave virus, & horrida cessit
  Barbaries, nostris penè superstes avis.
Hoc duce depulsâ feritatis imagine, primùm
  Urbanos didicit Civica vita modos.
Testis qui toto legitur Galateus in orbe,
  Mole brevis, curâ grande libellus opus.
Vix ea, cum totâ numen mihi mente receptum;
  Celatoque artus incaluere Deo.
Ordior: Urbanis assurgite legibus omnes,
  Quotquot in urbe viri, quotquot in urbe senes.

Præ-

Præcipuè, Juvenes, linguiſque animiſque favete:
  Hoc ſuus, hoc vobis dedicat Author opus.
Quiſquis es Urbis amans faciles ante omnia mores,
  Ut tibi ſint ſtudeas, difficileſque fuge.
Aſpice, difficilis ceu ſentibus horrida tellus
  Sit ſemper, facilis gramina ſponte ferat.
Eſt ſua ſeminibus, ſua vis eſt inſita campis,
  Terraque ab ingenio quælibet apta ſuo eſt.
Non minùs & vitæ ſocialis ab indole pendet
  Cultus; in hac morum ſemina prima latent.
Cernis, ut huic quondam, primo cum lacte bibendos
  Clam dederit triſtes mater avara ſatus?
Quidquid agit, truculenter agit; frons horrida, torvus
  Intuitus, geſtus triſtis, & arte carens.
Rideat; inſulſum, quiddamque inamabile ridet:
  Fac canat, obſceno gutture flere putes.
Mite alii ingenium ſua ſidera ſponte dederunt:
  Adſtitit & puero plena favore Venus.
Quidquid agit, bene ſemper agit; frons vivida, blandus
  Intuitus, geſtus comis, & arte decens.
Rideat; hoc riſu Charites ridere deceret:
  Fac canat, hanc vocem vellet Apollo ſibi.
Felix qui tantum ſortitur ab indole munus!
  Doctus hic in noſtrâ naſcitur arte ſatis.
Hæc præſtanda tamen, ſi numina fortè negarunt:
  Si data; vix laudem quòd mereatur habet.
Te ne ego vis mirer, cui nil prohibentibus undis,
  Ipſe ratem in portum ventus, & aura ferunt?
Non niſi per ſcopulos, vitataque ſaxa, carinæ
  Servatæ pretium grande magiſter habet.
Gratior eſt multò, foliiſque tumeſcit opimis
  Laurea, quæ multo ſanguine ſparſa viret.

Quò magis, Urbani, naturæ incommoda veſtræ
  Vincite, ſi vobis hæc minùs æqua fuit.
Ite hominem contra, tetrumque exurite virus.
  Non laus ex humili tanta petenda loco eſt.
Non ego de Medicis ſum triſtibus, omina ſemper
  Triſtia qui faciam, tetraque verba loquar.
Nempe aliquis moritur; vis morbi ſuſtulit illum:
  Si valet, à medici protinus arte valet.
Me duce, quiſque ſuo caveat ſuccumbere morbo,
  Quamlibet in vobis ſederit ille diu.
Arte ſeris campos, ſata ſemina colligis arte;
  Arte regis currus, dirigis arte rates;
Cum res quæque ſuâ tenuiſſima conſtet ab arte,
  Ars ſua non homini, quâ bene vivat, erit?
Hanc ègo profiteor, greſſus removete, profani:
  Ars mea, quanti hominum publica vita, valet.
Amovet hæc ſenſim mala germina mentis iniquæ,
  Utque minùs fruticent, luxurientque, facit.
Promovet hæc ſenſim bona ſemina mentis honeſtæ,
  Utque magis vireant, invaleantque, facit.
Privatim quicunque cupit ſibi ducere vitam,
  Fallitur; & generis neſcius ipſe ſui eſt.
Debita pars Patriæ, patribus pars altera noſtri
  Debita; quæ ſupereſt tertia, ſola tua eſt.
Hanc quoque congreſſus, urbanaque munera partem
  Elimant; ſupereſt quàm tibi penè nihil!
Nam cave, cum mediis verſabere cœtibus urbis,
  Tu tibi ſis vitæ forma, moduſque tuæ.
Non tibi fac liceat, quidquid libet; unica tanquam,
  Miſſaque de cœlo publica norma fores.
Ite procul faſces, regalia ſceptra faceſſant,
  Quidquid & imperium, jus & herile ſapit.

Ite

Ite procul Craſſi, Mæcenateſque ſupini:
Tolle mihi vultus, Æmiliane, tuos.
Odimus Urbani quidquid ſupereminet; æquo
Non niſi cum paribus vivere jure decet.
Quam bene, frondoſo tumefacta papavera collo
Quæ ſuperant, curvâ Villica falce premit.
Quam bene, quos nimiùm videt exultare corymbos,
Providus attentâ Vinitor arte ſecat.
Aſpice, Tarquinium furiis ut concita ſævis,
Plebs duce ſub Bruto pellat ab urbe procul?
Quis furor hic tantus? deponite tela, Quirites,
Culpa minor pœnâ; ponite tela manu.
Sanguine patricio tepefecerit iſte ſecures,
Preſſerit indigno Romula colla jugo;
Rex tamen eſt veſter: ſatis hoc mihi ſufficit unum.
Regia Majeſtas numinis inſtar habet.
Dum loquor, unanimis ferit aurea ſidera clamor;
Totaque conclamat Roma, Superbe, procul.
Roma diu Regem potuit non ferre ſuperbum:
Privati faſtum qui ferat, ullus erit?
Et decet, & dulce eſt alienis caſibus uti:
Qui ſapit alterius ſumptibus, ille ſapit.
Dum licet, ingenii ne prodite ſigna ſuperbi:
Hoc vos Tarquinii pœna vetuſta docet.
Deme tubam verbis, truculentaque forma faceſſat:
Neve quis emineat ſpiritus ore, cave.
Gens homines moroſa ſumus: faſtidia nobis
Quæ bona, quæ mala ſunt, neutraque ſæpe movent.
Neutra quidem res eſt, & corporis extima geſtus:
Et ſua vel neuter crimina geſtus habet.
Cum quis fortè nihil reliquis conſpectior, altùm
Spirat, & undantem laxat utrinque togam,

Sæpe suo versat rutilantem pollice gemmam,
Ut feriat visus arte rotata tuos,
Aut nimis elatus, buccisque tumentibus ibit;
Protinus hæc animi signa tumentis erunt.
Hæc cave, ne caveare; via est quoque prona cavendi,
Si modò non pigeat dogmata nostra sequi.
Est modus in promptu; vos Delphica templa subite:
Hoc erit, hoc vobis causa salutis iter.
Ante fores signis hic pendula grandibus extat,
Quæ, bene se noscat, littera, quemque monet.
Legerit hanc aliquis de se nimis ampla locutus;
Nec mora; jamque sui redditus osor erit.
Legerit hanc aliquis, sibi qui nimis ante placebat;
Protinus incipiet displicuisse sibi.
Sumite, quæ noster bona pharmaca dictat Apollo:
Sed priùs hæc nostrâ sumite mista manu.
Quod petis, intus adest; noli discedere longè;
Quid fugis extra te? quod petis, intus adest.
Qui se fretus avis, atavisque potentibus effert,
Cogitet, ingenii quàm sibi curta penus.
Consule divitias, oleant num fœnora, Dives,
Decolor & multo sanguine census eat?
Quid mihi, fortunæ qui munere cassus utroque es,
Docte vir, aut vates ingeniose tumes?
Donec avis pictas spectat Junonia pennas,
Quàm sibi de pennâ versicolore placet!
Fac tantùm luteosque pedes, & crura supernè
Horrida respiciat; displicet ipsa sibi.
Sunt quoque, quæ doceam, vitæ bene multa regendæ
Apta; sed è multis dogmata pauca legam.
Legifer ecce Solon finem spectare supremum
Te jubet; ad finem dirige cuncta suum.

Plu-

Plures esse malos, caveas quo semper ab illis,
  Incensâ profugus clamat ab urbe Bias.
In quibus est illud, Noli spondere, Thaletis:
  Rerum nempe anceps exitus esse solet.
Quid facis, ah demens, Periandri est norma, latentes
  Quam malè supposito discutis ense faces!
Omnibus in rebus, nequid nimis; adjice dictis
  Hoc quoque, quod docto Pittacus ore monet.
Quid tamen hæc multis? inopes accedere rivos
  Stultum est, cùm pateant magna fluenta tibi.
Consule quæ sparsim formandis moribus apta,
  Numinis afflatu pagina scripta docet.
Non ego sum, pelago qui nunc dare vela patenti,
  Oceanumque brevi scandere puppe velim.
Quid tamen omnigenis pleno de floribus horto,
  Ut mihi texatur parva corona, vetat?
Nil placet insulsum: salis expers nulla placebat
  Terrarum Domino victima vota Deo.
Hinc memor urbanum circumfer ubique salillum:
  Quidquid agis, modico singula tange sale.
Grata suis vicibus terra est; nunc horrida brumæ
  Tempora, nunc placidi tempora veris eunt:
Grata suis vicibus vita est; sua tempora risus,
  Et sua queis doleas tempora luctus habet.
Tempora sunt fandi, sunt tempora certa tacendi:
  Elige judiciis illa, vel illa tuis.
Concentum cave perturbes; Symphonia concors
  Est ubi, non aliis dissonus esse velis.
Sed priùs hæc animo tecum versare memento:
  Tempore qui certo proferat, usus erit.
Multa senes videre, senum tu collige dicta:
  Ætas multa adimit commoda, multa parit.

Credite & expertis; rerum experientia doctrix:
Quidquid habes, gremio protulit illa suo.
Ars sua cuique patet; quo vulnera dirigat arcu
Scit bene, qui duras aptat ad arma manus.
Quid pelagus peccet, quid venti, navita narrat,
Cui longùm in mediis acta phaselus aquis.
Tu quoque qui dubiæ jactaris fluctibus urbis,
Fac hominum mores edoceare priùs.
Orbe pererrato solers perhibetur Ulysses,
His puerum dictis instituisse suum.
Scilicet urbanis tibi commoda cœtibus ætas
Imminet; urbanè vivere disce Puer.
Antè tamen varios hominum cognoscere mores
Cura sit: hinc vitæ norma petenda tuæ.
Nil nisi de ludis puerilis cogitat ætas:
Non patet exiguis area major equis.
Spe tumidus Juvenis sua vota extendit in ævum,
Prodigus & patrii dissipat assis opes.
Vir tamen in magnos cupidè grassatur honores;
Hoc studet, ut natis consulat usque suis.
Morosi plerumque senes; obnoxia morbis
Nempe ætas querulos, difficilesque facit.
Hactenus ætatum mores; quid moribus addat
Conditio, paucis, Nate, docendus ades.
Nobilitas parto majorum indulget honori,
Cunctaque patriciis debita credit avis.
Vilibus irasci solita est, obliquaque spectat
Emersos populo, quos videt esse recèns.
Dives at excepto quid non fastidiat auro?
Hos animos illi plena crumena facit.
Plus tamen elatâ tumidus cervice superbit,
Evolat ad subitas, qui modò pauper, opes.

Ma-

Magna dabit faciles plerunque Potentia mores:
  Sic Majeſtatis temperat illa jubar.
Hoc ſtudet ut partæ patrimonia ſplendida famæ
  Augeat, & titulis incubat uſque novis.
Proderit herbarum ſed quid cognoſcere ſuccos,
  Hos niſi Pæoniâ diluat arte manus?
Artibus his crevi; nomenque Ithacenſis Ulyſſis
  Non leve Græcorum nuper in ore fuit.
Patroclus aſſumptis puer exultabat in armis;
  Vix ætas illi, quàm tua, major erat.
Mene putas puero cœleſtia ſigna locutum,
  Solis & arcanas explicuiſſe vias?
Non niſi nobilium ſtudio gaudebat equorum:
  Et mihi de ſolis ſermo petitus equis.
Thracane quos ferret, vel quos daret ora Lycei,
  Præſtarent, grandis quæſtio ſemper erat.
Sic pueri mihi partus amor, ſic victus Achilles
  Actoridem doluit non ſatis eſſe ſuum.
Neſtor erat contra, tumidum cui pectus Achæis
  Artibus, & ſermo ſemper in ore gravis.
Unde tuerentur populorum commoda reges,
  Hæc erat alternis vocibus apta ſeges.
Hac vice ſermonum Neſtor mihi captus; ab illo
  Qui ſaperet, nemo dictus Ulyſſe magis.
Bella, minas, cædes ſemper ſpirabat Achilles;
  Lene quid huic velles pacificumque loqui?
Bella, minas ſemper, cædeſque tubaſque loquebar:
  Sic mihi Pelidæ conciliatus amor.
Me miſeret, Menelae, tui; non ruſtica conjux,
  Rapta Ducis Phrygii cui modò claſſe fuit.
Non impunè feret tamen; hoſpitiique lavabit
  Semivir effuſo ſanguine jura tui.

Red-

Redditus hinc noftri fubitò Menelaus amator :
  Nempè quod hæc illi commoda verba darem .
Quid tibi fœmineos referam nunc ordine mores ?
  Lubricus hic locus eft , expediamque brevì .
Aut amat , aut odit ; fed dum tamen odit, amatque,
  In re nullum adhibet fœmina utrâque modum .
Quis, nifi mentis inops , dum fe nimis applicat igni,
  De face vicinâ concaluiffe dolet ?
Nefcit amor leges ; moderari quifquis amorem
  Poffe cupit , fanus defipuiffe cupit .
Artibus his quondam puerum informabat Ulyffes ,
  In patriam , è vifo non femel orbe , redux .
Et tibi profuerit varios cognofcere mores ,
  Urbano quifquis vivere more cupis .
Scilicet ifta fuis capitur fermonibus ætas ,
  Altera vult alio more , modoque coli .
Læta probant Juvenes ; fubtriftibus ægra fenectus
  Pafcitur ; oblectant feria verba viros .
Se metui Dives ; cultum fibi Nobilis optat ;
  Illis qui medius , pofcit utrunque Potens .
Hoc quoque tolle memor,quâ quifque fit indole fretus ,
  Quove fatus cœli fidere noffe decet .
Afper ab ingenio , vel qui malè pronus in iram ,
  Molliter hunc adeas ; nec fere verba frequèns .
Triftis erit quifquam ? Saturnum decoquat antè ,
  Tempore mox apto congrediare licet .
Monticolæ duri ; pariet plerunque fuperbos ,
  Pabula queis facilis fponte miniftrat humus .
Urbs alluta mari , portu celebrata frequenti ,
  Verfutos , lucro follicitante , parit .
Lætitiæ Gallus , gravitatis amator Iberus ;
  Cum candore fides Teutonas una capit .

Mo-

Moribus excultis generoſa Liguria gaudet;
  Delectant Venetos verba diſerta Patres.
Inſubres ſine fraude; rigat quos Arnus, Etruſci,
  Gens eſt officiis dedita. Nota cano.
Romanus pietate potens; Sebetus alumnos
  Quos fovet, ad laudem quis neget eſſe ſatos?
Hæc dixiſſe juvat generatim; corrige quidquid
  Diſcrepat, & dictis concipe plura meis.
Hactenus ante fores urbanæ ſedimus artis:
  Nunc luſtranda domus interiora ſacræ.
Ordiar unde tamen, vel quo prius ordine ſolvam?
  Materies cœptis denſa moratur iter.
Namque ego, quid, verax ut ſis, te pluribus horter?
  Hæc erit urbani teſſera prima Viri.
In magnis ſervare fidem, non gloria magna eſt:
  In minimis nunquam fallere, rarus honos.
Non tamen, ut quidquid ſuberit ſibi pectore veri,
  In medium quiſquam proferat, author ego.
Multa quidem tacuiſſe decet, nonnulla neceſſe eſt:
  Tempore diſſimules ſi quoque multa, juvat.
Non eſt ſimplicitas annis aptiſſima noſtris,
  Dexteritate magis qui valet, ille valet.
Quiſque ſibi timeat, caſus relegatque priores:
  Eſt mea privato muſa dolore loquax.
Credideram nonnulla tibi deceptus amici
  Nomine; qui fueris, pagina noſtra ſilet.
Quem non deciperet blandæ pellacia frontis,
  Quique tibi fuerat riſus in ore frequens?
Quem non deciperet venerabile nomen Honeſti,
  Quæque tibi fuerat ſemper in ore fides?
Vix ego credideram: momento credita vulgas:
  Inque meum ſenſi tela retorta caput.

Quì

Quî ſcopulos caveas, Palinurus in æquore dicat;
  Quî morbos, Coi cura docere Senis.
Quæ mala ſint urbis, quas urbis in æquore ſyrtes
  Callidus effugias, ipſe magiſter ero.
Credite vix ulli; rariſſimus unus & alter,
  Quorum tuta ſacro perſtat in ore fides.
Scilicet hos levitas, illos prurigo nocendi,
  Hos quoque garrulitas in tua damna movet.
Cùm tamen hæc fuerint, circumſtent omnia quamvis
  Te mala; ne mendax inveniare, cave.
Dixeris: unde nihil ſequitur mendacia damni,
  Unde favor ſequitur plurimus, illa licent?
Cedite Caſtaliæ, cultiſſima turba, Sorores,
  Cumque tuâ valeas, Phœbe canore, lyrâ.
Hauſtibus hîc aliis pleno mihi fonte bibendum:
  Quid mihi vobiſcum eſt Bellerophontis aquæ?
Hinc tibi finge, mari terras fluitare refuſo,
  Finge tibi ſtygios inde patere rogos;
Si fluctus cohibere, rogos extinguere poſſes,
  Dum velles mendax vel ſemel eſſe, nefas.
Tempore mentiri nullo licet; ite profani
  Quos aliter ſtygio Cerberus ore docet.
Extima quæ labes abſtergitur, intima perſtat;
  Æthiopem totis non lavet æquor aquis.
Turpia ſponte ſuâ, primâque ab origine quædam;
  Turpia lex quædam dum vetat, eſſe facit.
Non quia lex prohibet mala ſunt mendacia: contra
  Quòd mala, lex prohibet; num ſemel ergo licent?
Non tamen hinc tantâ rapiare libidine Veri,
  Detur ut alternis litibus anſa velim.
Pax decet Urbanos; pax urbis teſſera cultæ:
  Bella feros hoſtes, militiamque decent.

Qua-

Quare agite, horridulæ procul urbe facessite voces:
  Non ita; mentiris; vidi ego; testis ego.
Instat ad hæc torvi truculenta protervia vultus:
  Voxque Jovis multum rauca tonantis habet.
Hæc circumsideant, sine, tristia verba tribunal;
  Cum judex illinc, inde satelles adest.
At non colloquiis genialibus apta ferendis,
  Dictaque cùm lætis cœtibus hora subest.
Transige cum sociis tum multa; recedito summo
  Jure; minùs rigidâ singula pende manu.
Nam priùs accipitrem timidissima turba columbæ,
  Cerva canes, fulvos diliget agna lupos;
Quam rixatorem socialis cœtus amabit:
  I procul ad stygios, pestis iniqua, lacus.
Sunt quoque diffidii justissima tempora: nam quis
  Explorata sibi quæ priùs, illa neget?
Diffideas; sed missa procul fac jurgia prudens:
  Non est res Verum garrulitatis amans.
Nec te vincendi temerarius auferat ardor,
  Victor ut e campo semper abire velis.
Vicisti: sed cerne latus, diffluxit amicus,
  Æternumque tibi murmurat ore, vale.
Scilicet est victis odio victoria semper,
  Illa sit in victos officiosa licèt.
Forsitan & digito passim monstrabere; Victor;
  Protinus heu socii cedite, Victor adest.
Si tamen ad doctas fortè invitabere lites,
  (His quoque quandoquidem gaudet amica cohors)
Viribus ingenii tunc molliùs utere; toto
  Garrula fac potiùs pulpita marte fremant.
Effuge clamosum sapiunt quæ verba Lyceum:
  Signaque, cum doceas, nulla docentis habe.

Fri-

Frivola res agitur ; quid contra obsistere certas ?
Te sine , quò plures incubuere , trahi .
Quòd si jactari sine re , sine pondere voces
Audieris ; vincat , qui magis ore valet .
Fac campum teneat vox importuna ; pudoris
Tu tamen interea præmia magna feres .
Sub Jove quæ cœpit mansuescere vita magistro ,
Rustica , Saturno sceptra tenente , fuit .
Sanctus amor primùm socialis fœdere vitæ ,
In sylvis homines nexuit ante vagos ;
Oppida moliri , leges incidere jussit ,
Atque novâ mores molliit arte feros .
Si quibus ante modis res parta , fovetur iisdem ;
Urbes , qui peperit , nunc quoque servet amor .
Nunc quoque servet amor cives ; quid pluribus ? ut sis
Urbanus , non es multa docendus : ama .
Si quis amat , dictis non quenquam incessit amaris ,
Semina dissidii clam nocitura ferens .
Comiter appellat , decedit , spontè salutat ,
Verba prior loquitur publica , si quis amat .
Cur & amare velis , centum tibi suffice causas :
Fac modò quæsieris , copia dives erit .
Hunc tibi concilient numerosæ stemmata Gentis ,
Illum animi virtus , simplicitasque probent .
Huic faveas , citharâ quòd ludere novit eburnâ ,
Illi quòd celeres dividit arte pedes ,
Flumen in hoc doctæ tecum mirabere linguæ :
In pretio hic , musis quòd sit amicus , erit .
Nulla caret facies , quamvis pulcherrima , mendâ :
Atque aliquid turpis , vel quod ametur , habet .
Si tibi quæ data sunt, alii natura negavit ,
Plurima , queis forsan deficis , alter habet .

Ma-

Magna manet faciles, ſterilis nec gratia mores;
Publicus hâc nobis arte paratur amor.
Splendor ineſt aliis major virtutibus: Eſto.
Plus ſolidæ tamen huic utilitatis ineſt.
Fortibus in bello locus eſt; ubi claſſica ceſſant,
Pax aliâ gaudet conditione coli.
Non ſemper donantur opes; quæ continet urbes,
Juſtitia officiis ceſſat & ipſa ſuis.
Quidquid agis contrà, quidquid moliris, & urges,
Anteit Urbanus, ſubſequiturque decor.
Si ſedeas, tecum clam ſede locatur eâdem;
Si ſtas, occultus ſtabit & ipſe comes.
Incedit tecum, tecum ſpatiatur & idem:
Teque vidente videt, teque tacente tacet.
Præcipuè linguam ſibi vendicat; effuge linguæ
Crimina, ſi culti nomina Civis amas.
Putide jactator, quid inania nomina ſemper
Objicis, & veteres tollis ineptus avos?
Vaſcula tangenti nuper mihi murrhina, ceſſit
Priſtinus, attrecto dum nimis illa, nitor.
Dumque frequens refero, quæ glande teguntur eburnâ
Balſama, clam patulo carcere ceſſit odor.
Sic niſi laus parcè, niſi ſit tractata pudenter,
Sordet, & authoris vilis in ore ſui eſt.
At locus inciderit de te ſi fortè loquendi,
Invitus de te fac videare loqui.
Quid quod profuerit proprias decerpere laudes,
Atque aliquid meritis demere velle tuis,
Quidquid detrahitur, tum fœnore ſupplet opimo,
Qui favet auditor laudibus uſque tuis.
Non tamen antiquo de ſtemmate ductus avorum,
Vile tuum nobis dixeris eſſe genus.

Non

Non tamen, à ſtudiis ſi mens tibi fervet honeſtis,
Unum Palladii te gregis eſſe velis.
Per faſtiditas quam ſæpe ſuperbia laudes
Creſcit, & ipſa ſuum clam magis urget opus.
Laude viget virtutis amor, laus pectus honeſtis
Inſtruit exemplis, magnanimoſque facit.
Quod tuba militibus, quod nautica vela carinis,
Et quod calcar equis, gloria præſtat idem.
Quis putet, arma manu capias hoſtilia miles,
Pacificæ jubeam conditor artis ego?
Arma manu capienda tibi; non horrida deſunt
Claſſica; quid ceſſas? campus & hoſtis adeſt.
Tu tibi vincendus; tu campus, & hoſtis es idem:
Præmia, te domito, victor ab hoſte feres.
O' genus egregium pugnæ! pars victa triumphat,
Quâ ſimul & victrix; laus & utroque redit.
Dixeris: adversâ loqueris pugnantia fronte.
Quas canis ambages, Œdipe, ſolve precor.
Altera pars noſtri culta eſt; pars ſentibus horret
Altera, & internas paſcit opima feras.
Altera pars ſceptris, & faſcibus apta regendis,
Altera pars, juſſis ut famuletur, habet.
Inſidet in primâ ratio, populumque rebellem
Continet, & certâ temperat arma manu.
Inde ſeges cæcis oritur denſiſſima bellis:
Imaque pars jugi ſeditione fremit.
Hinc deſideriis in partes ſcindimur; illinc
Nos agit ira ferox, inde laceſſit amor.
Quid timor, atque ſuas reputans audacia vires
Plus æquo? Quantis cædibus arma movent!
Adde his lætitiam, perfuſaque gaudia fuco;
Adde his mœſtitiæ triſtitiæque gelu.

Mu-

Motibus his occurre celer; te vincere disce,
  Si vincire alios, Urbis amator, amas.
Quis ferat immodicos, subsultantesque cachinnos,
  Oraque, quæ risu semper inepta patent?
Est quoque tristities cohibenda; obsiste dolori,
  Dum potes, & mœstas excute fronte notas.
Displicet ex æquo res utraque; tempore flendum,
  Gaudendum certo tempore, crede, tibi.
Est & inurbani species male nata timoris,
  Quæ viles homines, putidulosque facit.
Hinc fit, ut, & lucem, & consortia publica vitent,
  Privatæque colant abdita septa domus.
Scilicet insidias metuunt à quolibet; anguem
  Quolibet abstrusum in flore latere putant.
Illos officiis, ut mos, ambire labores?
  Est & in officiis quod timuisse velint.
Muneribus palpare cupis? data munera spernunt,
  Uncaque sub donis æra subesse putant.
Ex hoc fonte, suis crucians se tabida larvis
  Suspicio exoritur, pabulaque ampla trahit.
Cœtibus hinc hostis se Diffidentia nostris
  Prodit, & urbani turbat amoris opus.
Est qui plus justo confidit, & omnia scire
  Se putat, &, quidquid fecerit, ipse probat.
Psallere non dubitat, quamvis malè pectine cordas
  Pulset, & horrendùm personet icta chelys;
Flectit & in modulos vocem, mera murmura quamvis
  Edat, & enormi strideat ære magis.
Inter utrumque viam, cursumquè tenere memento,
  O cuicunque sedet nobilis Urbis amor.
Æstimet unusquisque suas priùs ordine vires;
  Nec meritis sumat plusve, minusve suis.

Cui debetur honos, meritum non ſpernat honorem;
Cui locus inferior, non ſibi prima petat.
Pſallere qui didicit, pſallat; multumque rogari
Non ſinat; abſtineat, qui tamen arte caret.
Non omni te crede viro; diffidere cunctis
Qui ſolet, infidos, dum timet, eſſe docet.
Quò properas, campoque vagus ſpatiaris aperto?
Dum licet, o, votis injice frena tuis.
Videris Euganeis religata volumina villis,
Fibula quod Phario dente coercet opus.
Videris egregiâ ſpirantes arte tabellas,
Aut fabra quod priſco luſit in ære manus.
Videris hæc, oculiſque vores captator avaris,
Attrectans cupidâ terque quaterque manu?
Quid quod viſa probas, pretiumque paciſceris emptor:
Offerat urbanè fac herus illa: capis.
Si rata dona putas, non pondus habentia verba,
Non erit officiis ullus in orbe locus.
Ad Dodonæas, viliſſima pabula, glandes
Te duce, mox iterum quòd redeamus, erit.
Non tamen oblato deſit ſua gratia dono:
Quin & in acceptum verba vel ipſa refer.
Eſſe quid hoc dicã, quòd in hunc modò ſponte feramur?
Hinc retrahat tacito vis in amore latens?
Sunt virtute pares, animi ſunt dotibus ambo:
Corporis ille bonis præſtat, & ille ſimul;
Hunc amo vix viſum; nec poſſum dicere quare:
Protinus hunc fugio; cauſa nec apta ſubeſt.
Forſitan hìc aliquis cauſas accerſat ab aſtris,
Seque per aereum mente rotabit iter;
Aut magnetis acus, arcanaque fœdera promet,
Rebus & occultas dicet ineſſe fugas.

Quid-

Quidquid id eſt, animi nunquam faſtidia prodes
  In quemquam: genii comprime lora tui.
Effuge convictum potiùs; præcide morandi
  Cauſas; quamque potes, contrahe verba brevì;
Dic fora, dic tali ſubſellia judicis horâ
  Eſſe ex condicto convenienda tibi.
Multa tuæ facienda domi cauſabere; quæ, ſi
  Non adſis, rectè nullus obire queat.
Oderis haud quenquam; ſocialis fœdera vitæ,
  Indita lexque tuo pectore ſancta vetat.
Rarus & ad trutinam cautè revocetur amicus:
  Quemlibet urbano comis amore colas.
Sævior ingenio eſt, ægrèque domabilis ira;
  Hanc tibi ſit princeps edomuiſſe labor.
O ubi tunc ſpeculum, cùm jam præcordia fervent,
  Occultas irâ ſubjiciente faces!
Aſpiceres tumidaſque genas, hirtoſque capillos,
  Motaque nativo ſingula membra loco.
Vox tremit, igneſcunt oculi, veſtigia nutant,
  Et ſedet in toto lividus ore color.
Nec te decipiat, quod quidquid percitus irâ
  Feceris, his omnem detrahat ira notam.
Parcimus aurigæ, cùm, ſubſultante quadrigâ,
  Frena reluctantes nulla morantur equos.
At priùs hos campo quàm digrederentur aperto,
  Par erat adſtrictis impediiſſe lupis.
Proderit at cauſas quid longè accerſere morbi,
  Si nihil auxilii lentus, opiſque feras?
Ignis ut in cineres, extinctaque flamma reſidat,
  Non modus eſt ſimplex, una nec apta via eſt.
Injice fontanas flammis crepitantibus undas,
  Clam ſua vel rabidis pabula deme rogis.

Tu quoque materiem nascenti protinus iræ
Deme, vel oppositis frangere disce modis.
Ira remollescet paulatim; funditus hostem
Per certos vinces, fortior hoste, gradus.
Pace geri bellum, bellumque paretur oportet
Tum, cùm securæ tempora pacis eunt.
Cum mens in tuto, placidâ & statione quiescit,
Tunc iram contra multa parare decet.
Frange reluctantem primis incursibus iram;
Et tuus adverso flumine linter eat.
Forte lacessierit te quisquam: saxeus adsta;
Limes ut in mediis saxeus adstat agris.
Est gradus ulterior; dictis laceratus amaris,
Mollia tu placidis verba repone sonis.
Est quoque quod supra contendas; munera confer,
In quem clam tacitus suggerit arma dolor,
Adjice blanditias; prunis ardentibus ures:
Inque bono sapiens vincere disce malum.
Si quis dura tamen nimis hæc præcepta vocabit,
Est quod Pergameæ consulat artis opem.
Hauriat austero spumantia pharmaca succo:
Abstineat, quidquid dulce, salaxque, procul.
Et cruor è venis subsultet hiantibus; iræ
Sic minor edomito fomite fervor erit.
Si nihil ista juvant, ars hìc mihi deficit omnis:
Non est quòd doceam plurima; vive domi.
Vita sit in pretio, curâ prævertite morbos:
Tempore quæque juvant discite, quæque nocent.
Ponite sed longis finemque, modumque querelis:
Nec solitum vestro carmen in ore sonet.
Hi modò, contigerit quòd nox sibi tetra, queruntur,
Tristibus & somnus septus imaginibus.

Nunc

Nunc quòd lenta nimis ſtillet pituita cerebro,
  Torpidaque adſtrictis conglaciarit aquis.
Sæpe caput tangunt: morbi certiſſima ſedes
  Eſt caput; hìc ſemper, quod medeantur, habent.
Ille, viden? quantâ nares corruget ab irâ,
  Utque truci querulos muſſitet ore ſonos?
Fac age, ſollicitus quid ſecum immurmuret, audi!
  Quamque potes lateri proximus adde latus.
Mene ſalutatum non venerit hoſpes in urbem?
  Ruſticus indicto, ceſſerit urbe, vale?
Reddidit ecce alter, quam debuit ante, ſalutem:
  Manca ſed ex aliquâ reddita parte ſalus.
Fœminei, vos noſtra feret patientia, mores?
  Ultrà Sauromatas ite, truceſque Getas.
Quod ſi noſſe cupis tanti mala ſemina morbi,
  Ut tempeſtivus pharmaca certa pares;
Altiùs ordiri noſtras patiare Camœnas:
  Grande moræ pretium, longior orſus erit.
Expers conjugii, thalamiſque Superbia nullis
  Vincta, diu fuerat prolis honore carens.
Tempore poſt longo, multiſque fluentibus annis,
  Optavit certi pignora noſſe thori.
Quid faceret tamen illa? ſuper quæ tolleret omnes
  Seſe, num vellet ſubdere colla viro?
Fac quæſiſſe virum, fac ſubdere colla marito
  Velle; vir unde ſibi, quique legendus erat?
Cœli pulſa plagis, Acheronte inviſa ſub imo,
  Exoſum terris, & grave numen erat.
Ergo Caucaſei prærupta cacumina montis,
  Neſcio quid verſans grande, furenter adit.
Subſtitit hic, patulis exceptans faucibus auram,
  Flabat ubi tumidis fortior Eurus equis,

Protinus intumuit vento; mora nulla, puellam
  Edidit, & voti jam rea facta sui est.
Hæc Gula dicta fuit; pingui quòd nata saginæ
  Tota videretur, nec nisi venter erat.
Ilicet alterius correpta cupidine prolis
  Huc redit; &, quidquid fecerat antè, facit.
Protinus intumuit vento; mora nulla, puellam
  Edidit, & partu gestiit aucta novo.
Quodque petulca foret, tumidisque ferocula buccis,
  Nominat hanc Iram; sentit & esse Parens.
Sic & Avarities, sic tristis Acedia nata,
  Non secùs Invidiam, Luxuriemque parit.
Hoc tamen angebat, quòd sex enixa puellas,
  Progenies illi nulla virilis erat.
Ergo petit rursus prærupta cacumina montis,
  Jactat & immistum nubibus alta caput;
Utque diu adverso boream bibit ore, resedit
  Fessa; novoque tumens pondere venter erat.
Nec mora, concepit; prolemque enixa virilem est.
  Heu quantùm sævæ matris in ore fuit!
Lacte suo nutrit, nomenque Philautius illi
  Indit, amatorem quod sonat esse sui.
Creverat:haud mirum est;Amor hic adolescit in horas,
  Fitque puer parvâ, virque, senexque, morâ.
Erudit hunc Genitrix, &, quo velit ordine vitam
  Ducere, per tales visa docere sonos.
Nate meum columen, mea magna potentia solus,
  Sospite quo semper regia sceptra feram,
Quid tibi præcipiam multis? hoc clauditur artis
  Summa meæ; quod te, quod tua semper ames.
Nec mea difficilis poterit doctrina videri:
  Pronius esse sui num quid Amore potest?

At

At cave, ne fallare; tui fit nullus amoris
Confors; te folum femper amare velis.
Summa petunt flammæ: qui cœli credit amore,
Fallitur; eft illis quod bene, fumma petunt.
Ima petunt lapides: qui terræ credit amore,
Fallitur; eft illis quod bene, ad ima ruunt.
In mare quique fuis fe rivulus explicat undis,
Non mare, me, tacito murmure dicit, amo.
Moribus his vives; nullum cole, dilige nullum:
Atque tui nunquam fac ab amore vaces.
Ergo age, quâque patet, toto circumvagus orbe,
Digna magifterio femina fparge meo.
Hæc ubi dicta: fuo genitrix dedit ofcula nato;
Vix inclinatâ fronte, fed illa dedit.
Nec mora, Parthorum velocior ille fagittis
Circuit, è cœlo fol quod ubique videt.
Oppida cuncta petit, cunctas adit impiger urbes,
Corrumpens oculis obvia quæque fuis.
Stramineafque cafas, regumque fuperba pererrat
Tecta; fuam victor fpargit ubique luem.
Tunc fuit, ut paffis fugeres, Aftrea, capillis.
Nullaque fit pofthac orbe relicta fides.
Dulcis amicitiæ tunc folvi fœdera cœptum eft,
Et caput in terris extulit omne nefas.
Exeat: urbanis non eft congreffibus aptus,
Æftuat immodico fi quis amore fui.
Qui fe totus amat, proprioque indulget amori,
Unde amet hic reliquos, num quid amoris habet?
Hac de ftirpe fatos, fi quotquot in urbe referrem,
O' tibi qui rifus, fabula quanta foret!
Nomina prætereo, quæ promere plurima poffem;
Sed vetor ingenii ductibus ipfe mei.

Juverit in medium mores afferre ; levique
  Ut potero , tangam vulnera fœda manu .
Ordior à ſomno ; non ſtratis excitat illos
  Stridula naſcentis nuncia ſolis avis ;
Non qui manè novo clamoſus obambulat urbem ,
  Vinaque plebejæ vendit aduſta ſiti .
Forſitan , accedas cum jam fora litibus ardent ,
  Patricioſque terit turba togata lares ?
Janitor ante fores nullus ; conclavia nullus
  Excubitor ſervat ; rima nec ulla patet .
Fallor , an emoto crepuerunt cardine valvæ ?
  Ut dominum tandem congrediare , licet .
Ecce vacillanti verrens conclavia paſſu ,
  Excuſsâ nondum nocte ſupinus adeſt .
Faſcia vix Pharias cohibet diſcincta lacernas ,
  Cincinnus tumido multus ab ore fluit .
Te coram libyco percurrere dente capillos ,
  Tergere non dubitat teque vidente manus .
Alta dies , menſæque vocant , lectique ſodales
  In gyrum pictis diſcubuere thoris ;
Ille moras , tempuſque trahit cauſator ineptus :
  Cauſaque , cur nolit plurima , velle tuum eſt .
Forſitan excipient geniales fercula ludi .
  Hîc quoque , quæ peccet , multa Philautos habet .
Buxea nempe aliquis latronum prælia poſcit :
  Improbat hæc unus , trudiculaſque petit .
Ecce tróchus ; ſubitòque trochum ſibi diſſonus odit ;
  Alea nempe mihi ſola probatur , ait .
Ludus habet finem , cubitum diſcedere tempus ;
  Languida connivent lumina , ſomnus adeſt .
Non niſi ſepoſitis petit ille cubilia cellis ,
  Fartus ubi pluma commodiore thorus ;

De-

Denique quidquid agit, ſibi conſulit impiger uni,
  Idem propoſiti meta, caputque ſui.
Hos ego ne videam, nemorum rudis incola mallem
  Degere, cumque feris, terra Libyſſa, tuis.
Namque feras inter noſtri veſtigia moris,
  Et quaſdam videas mentis ineſſe notas.
Provida gens, hyemiſque memor formica per æſtum,
  Trudit in anguſtos grana puſilla lares.
Pennigeris caveat quò fœta Ciconia nidis,
  Pugnat in anguineum, cominus acta, genus.
Non ego tam vecors, apibus cœleſtia mentis
  Indita qui pridem dona fuiſſe rear.
Moribus at ducant cùm tam concordibus ævum,
  Quis non urbano vivere more putet?
Exemplum ſit apis vobis quoque: vivere cultus
  Quilibet unde queat, multa docebit apis.
Eſt apis officioſa, eadem quoque ſedula; multum
  Ingenii, mellis non habet illa parum.
Quæ vos ſegnities iſthæc tenet, Urbis amantes?
  Vos vos officiis incubuiſſe decet.
En tibi notus eques peregrinis venit ab oris,
  Viſurus Romæ tecta ſuperba tuæ.
Si potes, huic occurre celer; junge eſſeda mannis,
  Et tuus ex omni parte fac extet amor.
Indice fac videat, teque affectante per urbem,
  Quidquid magnifici Roma decoris habet.
Illi Pamphilidum cultos monſtraveris hortos,
  Altaque Burgheſidum limina, Regis opus.
Templa, domos Procerum, Pallatia, balnea, thermas,
  Te duce mox videat, te duce viſa notet.
Si cui magna foro res in diſcrimen agatur;
  Quam potes huic celerem ſedulus affer opem.

Fac

Fac fora ſollicitus diſcurras; judicis aures
  Prætentes; obeas quidquid obire decet.
Sedulitas urbana placet quoque, ſedulus eſto:
  Quidquid agis, pigras excute corde moras.
Te venturùm aliquò certâ condixeris horâ:
  Ne fluat hora dati temporis, antè veni.
Promittas ſerò facito; ſed tempore primo
  Conſtet promiſſis, pollicitiſque fides.
Quod te depoſitum penes eſt, ſervare memento;
  Quoque petet dominus tempore, redde celer.
Eſt quoque ſedulitas nimis importuna, nocenſque:
  Ne nimiâ pecces ſedulitate, cave.
Hoc opus eſt facto, monitor quid acerbus in horas
  Ingeris, hoc illud meque cavere jubes?
Rubra meo, memini, ſapiebant vina palato:
  Protinus hæc, inquis, vina colore nocent.
Craſſa ſatis, memini, prohibebant pallia brumam:
  Induar Endromidem protinus author ades.
Quidquid agam, lateri conſultor garrulus hæres;
  Normaque, lexque tuo ſemper in ore ſonat.
Conſe Pater, ſi rite tibi delubra Vetuſtas
  Obtulit, & ſacrâ thura verenda manu;
Jura tui, precor, alme velis edicere regni:
  Tu Deus es mentis, conſiliique dator;
Nil ſine te cœptis feliciter ire ſecundis,
  Res ſine te fauſtè vertere nulla poteſt.
Hæc ego: Conſus ait, feris venit uſus ab annis,
  Hinc mihi canities, barbaque longa fluit.
Res vetus, affiniſque Chao Prudentia quondam
  Me tulit, hâc tantâ matre ſuperbus eo.
Mentibus hinc canis, anniſque ſenilibus adſum;
  Moribus hæc ætas congruit apta meis.

Profi-

Proficimus ſenſim, fructus mora mollit acerbos;
Erudit ingenium tempus, & hora ferum.
Sæpe ſuos caſus, alienaque ſæpe notantem
Damna, ſenem tacitè vita peracta docet.
Ex hoc fonte trahor primùm: fons unus, & alter
Eſt quoque quo ducor; cœtera diſce brevì.
Munere ſæpe Deûm veſtris quoque mentibus indor,
Conſilio canas præveniente comas.
Dicor & ingenii verſatilis ignea proles,
Cùm mens ſe rapidi fulminis inſtar agit.
Quique diu faſtis ævum trivere legendis,
Me longi pretium grande laboris habent.
Hactenus, unde traham generis primordia, dixi:
Nunc ſupereſt leges edoceare meas.
Res ſacra Conſilium; quis res obtrudere ſacras
Audeat, & fœdâ contemerare manu?
Finge, datis monitis quiſquam parere recuſet;
Cedat & hinc illi res malè fauſta; ſile.
Conſilium qui tale nihil poſcentibus offert,
Is tacitè dicit: plus mihi mentis ineſt.
Jura paterna tamen clam legibus excipe noſtris;
Quique magiſterii grande tuentur onus.
Quoſque dat alterni longiſſimus uſus amoris,
Inviſâ monitus aſperitate carent.
Conſilii, dum magna tamen diſcrimina poſcunt,
Author & è populo quilibet eſſe poteſt.
Hæc ubi deficiant, niſi fortè rogabere, nulli
Sic ſtat, Conſilium ſponte dediſſe licet.
Nec mora, diſceſſit; tum, quâ diſcedere viſus;
Candentem ſecuit lucida rima viam.
At tibi, Conſe Pater, tali pro munere, ſemper
Ornet olorinas alba ſenecta comas.

Pal-

Pallas & ingenuâ dignos dabit indole mores :
Moribus urbanis Pallas amica favet.
Hinc quoque præſidium petitote, recentior ætas
Dum ſinit; hinc Urbis rite parandus honos.
Non tamen omnigenæ percurrere Palladis artes
Cogimus, urbanos inter ut eſſe velis.
Scribimus indoctis pariter, pariterque diſertis :
Hei mihi quàm numero turba diſerta minor!
Sunt quæ noſſe levis, vel gloria nulla putatur,
Ignorata tamen crimen inertis habent.
Proderit hæc primis ſaltem tetigiſſe labellis :
Non adeo eſt artis janua dura meæ.
Qui labor annales patriæ didiciſſe vetuſtos,
Quodque magis tritum proſtat in hiſtoria ?
Eſt globus & vaſti referens imitamina Cœli;
Volvitur in Zonas machina parva breves.
Hîc potes aſtrorum varios prædiſcere motus,
Utque celer flexo tramite Phœbus eat;
Hîc, quâ parte Notus, Zephyrique tepentior aura
Spiret, & unde ſuas ebibat Auſter aquas.
Eſt quoque, lineolis quæ paſſim interlita pictis,
Urbes, ſtagna, lacus parva tabella docet.
Hîc ſpatiis diſtincta ſuis, fluvioſque, lacuſque,
Et terras modico ſignet in orbe manus :
Et ſimul indigitans, hàc, dices, Medus Idaſpes,
Hàc ſe Nilus aquæ dives in æquor agit.
Tigris ab Armeniis ſit montibus ille volutus;
Septeno Ganges ille ſit ore fluens.
Juverit & nummos, veteriſque numiſmata Romæ,
Factaque ſolerti noſſe ſigilla manu.
Stemmata quæ procerum necnon celeberrima diſces :
Non levis ex illo gratia fonte venit.

Nun-

Nuncia prætereant nec te quoque publica; miſſas
  Perlege diverſo ſedulus orbe notas.
Illic bella leges, tractataque Regibus arma:
  Heu quantum noſtri ſanguinis illa vehunt!
Tutus eris, ſi neuter eris, mediuſque ſedebis;
  Parſque tuo potiùs neutra favore vacet.
Hæc neſcire pudor: ſi tempore cognita profers,
  Laus erit ingenii parva, ſed apta tui.
Sit tibi mellitus ſermo, ſint mellea verba,
  Mellea vox; cultæ ſic eris inſtar apis.
At cave, qui mediis crabrones urbibus errant,
  Inter & urbanas nidificantur apes.
Aſper, acerba tuens, ſeſe mihi ruſticus offert:
  Heu ſpecies oculos perdere nata meos!
Protinus eloquio cœpi palpare, ſaluto;
  Verba movent primos officioſa ſonos.
Surdus ad hæc nihil ille mihi; civiliter inſto:
  Artis & expedio, quâ licet, arma meæ.
Flos erat in manibus de ceſpite ſectus odoro;
  Aſpiceres; primi gratia veris erat.
Exhibeo; munuſque meis quoque vocibus orno:
  Munus inurbanâ rejicit ille manu.
Theca mihi fuerat ſurgentibus aſpera ſignis,
  Pulvere flaveſcens, dives Avana, tuo;
Protinus exhibeo, quos naribus afflet odores,
  Rejicit, & digitis theca repulſa fluit.
Diſceſſi, tacitâque intus rumpebar ab irâ,
  Moribus infenſus, ruſtica turba, tuis.
Hinc per Agonalis me compita fontis agebam,
  Excutiens docti ſcamna diſerta fori.
Cùm mihi neſcio quis: totâ quæſitus in urbe
  Ut bellè occurris! res tibi ſalva ſatis?

Sal-

Salva ſatis, dixi; poſſum deponere in aures
Neſcio quid? paucis expediare, potes.
Jam motura ſuas eſt urna Liguſtica ſortes:
Si tria tu dederis nomina, victor ero.
Tunc colluſoris fugiens diſcrimen avari,
Protinus ad ripæ ſtagna minoris eo.
Hìc mihi, dum mannis præceps it rheda citatis,
Vix rota non pavidum ſtrinxit iniqua latus.
Progredior paulùm: petulans ancillula pelvim
Projicit, & dubiis tempora fœdat aquis.
Nec ſatis; ecce canis laniorum reſte ſolutus,
In mea diſtricto pallia dente ruit.
Diffugio: recitator adeſt maleſanus ad aures,
Meque jubet libris mente vacare tribus.
Tunc ego: Sancte tui reminiſcere vatis, Apollo;
Effugium noſtris da, precor, alme malis.
Cùm mihi ſubridens, claràque in luce videndam
Se dedit ante oculos culta Thalia meos.
Mox ait; humanis eſt viribus altius illud,
Quod petis, urbanæ Conditor artis, opus.
Scilicet ut mores Gens, te monitore, ferarum
Ruſtica dediſcat? vota ſuperba foves.
Ut bonus excutiat medicas Podalirius arcas,
Nil habet, unde lues tanta reſidat, opis.
Pharmaca & ipſe pater, tantum vincentia morbum,
Se negat Aonii Phœbus habere chori.
Fontibus hìc aliis opus eſt; Sapientia certos
Hos dabit; hanc adeas, dux ero, carpe viam.
Nec mora, Bœotum vocalibus applicor oris:
Huc ego, quâ terrâ, quâ pelagoque, feror.
Jamque fores Pindi, jam limina ſancta tenebam;
Cum mihi torva tuens, ſiſte, ſatelles ait.

Cru-

Cruda viro facies, rictuſque figura canini,
  Cui non Scaligerum proderet eſſe ſenem?
Deſilui ſic juſſus equo, bulgaſque reſignans,
  Juratus vetiti teſtor habere nihil.
Alta domus ſtabat centum ſubnixa columnis:
  Pars nova ni fallor, parſque vetuſta fuit.
Mille fores intus, & mille cubicula circum:
  Scribaque diſpoſito multus in orbe ſedet.
Curſitat in media quæſitor Horatius aula:
  Provehor, & Vati carmina noſtra fero.
Carmina noſtra fero: nam carminis una ſupellex
  Eſt mihi, & hæc cenſu dinumeranda brevi.
Protinus ut noſtri titulum videt ille libelli,
  Et rigidâ curſim fronte volutat opus;
Gratulor Urbanæ, dixit, tibi conditor Artis
  Hanc operi metam propoſuiſſe tuo.
Perlege quod veteres dolui peccare Quirites;
  Verſibus inde tuis ſuppetet ampla ſeges.
Tunc ego: num veterum monumenta perennia vatum
  Trita magis manibus, quàm tua, Flacce, meis?
Sunt tua: ſcrutari ſecretum parce; datamque
  Vera nec emoveant vina, nec ira fidem.
Percunctatorem fugito, nam garrulus idem eſt;
  Quàm verum hoc, uſu quenque docente, patet?
Sperne voluptates, animum rege; quo ſit odore
  Illita teſta recens, hunc quoque ſervat anus.
Hæc, & plura tuis docilis de verſibus hauſi,
  O vigili, Vates, ungue terende meo.
Protinus officiis urbano more peractis
  Dividor; & Pindi per loca ſacra feror.
Umbriferis vidi ſublatam in collibus urbem;
  Quam Sol ignivomis purior afflat equis.

Fons

Fons ſacer in medio, riviſque loquacibus errat,
Sciſſa Meduſæo quem pede fudit humus.
Undique defixis ſtabant tentoria contis,
Vendit ubi merces turba novena ſuas.
Acceſſi; patulaſque fores ingreſſus obibam,
Singula, quæ noſtris uſibus apta, notans.
Hic ego quos vidi, celeberrima nomina, Vates!
Attica quos tellus, quoſque Latina dedit.
Omnes laurigeris redimiti frondibus ibant:
Omnibus ad lævam dulce ſonabat ebur.
Hos ego quâ poteram, pavidus venerabar; at ipſi
Excutiunt facili comiter ore metum.
Pars rogat adventus cauſam; pars altera, vatum
Quo ſit apud noſtros fama decuſque loco.
Tunc ego multa gemens, obductum denique vulnus
Quid me Gens iterum ſcindere ſancta jubes?
Scilicet occidimus: vatum laus inclyta quondam
Fluxit; Apollineis gratia rara choris.
Hæc leviora tamen; Sancti periere Pudoris
Jura: verecundi nullus & oris honos.
Ruſticitas laxis impunè vagatur habenis,
Et populos victrix ſub ſua jura vocat.
Hanc ſeſe rapidi ritu torrentis agentem,
Quantum opis eſt noſtræ, ſiſtere nitor ego.
Vota ſed in caſſum fuerint, niſi numine veſtro
Sublever, & veſtrâ muſa juvetur ope.
Finieram; muſſare cohors; ſimul omnibus unus
Noſtra velut nutus cœpta probantis erat.
Præ reliquis Naſo: fauſto pede perge, paratum
Quo tibi jam dudum gloria monſtrat iter.
O ego pugnaſſem ſi talia bella, legendus
Utiliùs toto forſitan orbe forem!

Non

Non Cytherea meos vitiasset perfida fontes,
Undè minus tutò casta juventa bibit.
Sed tamen Urbanæ, quod te non præterit, Artis
Invenies libris semina sparsa meis.
Hinc mihi progresso, valvis spectanda superbis
Detinuit visus Regia celsa meos.
Undè Viri fiant, domus hæc arcana docebit;
Cælatum ante fores hoc breve carmen erat.
His, vultu testante Deam, Sapientia cellis,
Rite coronato vertice celsa sedet.
Stipabant Dominam regalia sceptra tenentem,
Innumeri circum, turba diserta, Sòphi.
Obstupui, penitusque sacro terrore rigebam,
Sancta verendorum fixus in ora Patrum.
Quisque manu solers cariosa volumina versat,
Quisque suum trutinâ judice pendit opus.
Ille tubos oculis cœlum speculantibus aptat;
Alter inexplicitas circinat ære notas.
Hunc ovi fætura recens tenet; ille latentis
Semina rimatur sulphuris, iste salis.
Hos inter se fortè Plato venerabilis offert,
Si memini, cunctis altior unus erat.
Hoc ductante, Deæ solio prosternor eburno.
Comibus hæc oculis, quid petis, hospes? ait.
O Dea, tunc dixi; poscam si grandia, parce:
Nam dare poscenti non nisi magna tuum est.
Scis bene, quàm ritu vivatur ubique ferarum,
Et sit inurbani copia quanta gregis.
Hac ego suscepi bellum cum gente gerendum:
His inimicitiis nobilis esse volo.
Non, ut victa meis gens hæc perdatur ab armis,
Quin magis ut nostrâ victa juvetur ope.

Crimina deteſtor, mores furialiter odi:
  Qui tamen hac miſeros labe notantur, amo.
Deficiunt ad cœpta pares ſed grandia nervi;
  Suſceptumque labor frangitur inter opus.
Tu modo, Diva, tuo cunctantem numine firma;
  Nec mea ſucceſſu vota carere ſinas.
Mox Dea: juſta petis; noſtros, i, perge receſſus;
  Aptaque propoſito, quæ magis, arma cape.
Diſceſſi, grateſque Deæ de more peregi;
  Antraque divinus ducit in ima Senex.
Nec mora; vix patulo referantur cardine valvæ,
  Cùm me majeſtas perculit alta loci.
Tunc Comes; hinc tenero commercia didita mundo,
  Singulaque humanis uſibus apta vides.
Auſa rudes pelagi quæ prima laceſſere fluctus,
  Hæc eſt Peliaco vertice cæſa ratis.
Ruſtica Triptolemi latet hâc in parte ſupellex:
  Nonne vides alto raſtra pereſa ſitu?
Hæc lyra, quam quondam ſtirpeſque feræque ſecutæ,
  Threicio blandas vate movente fides.
Hanc quoque vocali dum pectine pulſat Arion,
  Frænato Siculas piſce ſubegit aquas.
Ordine mox longo congeſta volumina vidi:
  Vix capit hæc laxo Bibliotheca ſinu.
Tum Plato: civilis primæva hinc ſemina vitæ,
  Fluxere in populos moribus ante feros.
Aſpice legiferos: ſunt hæc veneranda Lycurgi
  Dogmata, pellitis non bene culta Getis,
Condidit iſta Solon, quibus Attica terra ſuperbit;
  Hæc bonus, Ægeriâ præcipiente, Numa.
At quæ purpureo latet hîc res abdita panno?
  Interpellanti parce, verende ſenex.

Pau-

Paucis ille refert : hoc ſub velamine virga,
  Artis opus miræ prodigioſa latet.
Summâ parte feram tangas ; fera deſinit eſſe ;
  Imâ hominem tangas ; incipit eſſe fera.
Dixerat ; excepi : noſtris aptiſſima cœptis
  Hæc quàm Virga favet ! da, precor, alme Senex.
Vix bene finieram, grandi cum munere donor ;
  Quaſque ſeni grates rite decebat, ago.
Lætus iter repeto, pelagique remetior undas,
  Attrectans timidâ dona ſuperba manu.
Jamque mari appuleram, ventiſque ferentibus uſus,
  Carminibus, Circe, litora fœda tuis.
Protinus ingredior præſepia vaſta ferarum,
  Tentaturus opem, virga magiſtra, tuam.
Simia præ foribus, quam ſerica vincla tenebant,
  Stabat, anile movens irrequieta caput,
Mille ciet feſtiva jocos, riſuſque procaces :
  It, redit, aggreditur, deſilit, inde ſalit.
Tunc ego ; nugarum, dixi, fœdiſſima tandem
  Deſine : mitte jocos ; ſeria tempus agi.
Quin mihi, qui fueris, miſſis ambagibus ede :
  Dic age, cur vultus verſa figura tui ?
Rettulit hæc contra : non tu ſine numine Divûm,
  Ut reor, hæc Hoſpes limina ſancte petis.
Hîc me cum ſociis, Solis genus, invida Circe
  In varias magicâ tranſtulit arte feras.
Arte tamen certâ ; nam quilibet ora ferarum
  Sic capit, ut capiat moribus apta ſuis.
Obtigit inde mihi ſpecies turpiſſima, qualem
  Heu vitæ ſeries poſceret acta meæ.
Turpis eram patriâ dudum nugator in urbe,
  Improbus urbani ſcurra pudoris inops.

Aſpicerem curvo ſi quem conſurgere dorſo ;
Par humeris moles , par mihi gibbus erat.
Ille pedes varus , diſtortaque crura gerebat ;
Varus & ipſe pedes , tortaque crura tuli .
Blæſus erat quiſquam ; frangebam verba palato ;
Alter erat captus lumine ; captus ego .
Hei mihi quàm multos , circum plaudente coronâ ,
Ad riſus vidi ſuppuduiſſe meos .
Numina fac veterem reddant placata figuram ,
Totus in ornandis moribus eſſe velim .
Pronus in obſequium , nullique moleſtus , & omnes
Optarem ſtudiis demeruiſſe meis .
Eſſe vir inciperem ; cuperem ſimul eſſe videri :
Sed nocet , heu , votis vita peracta meis .
Subticuit : viſuſque pudor tetigiſſe dolentem .
Talibus aggredior protinus ipſe ſonis .
Illa ſalus , quam poſcis , adeſt ; tibi mittit ab alto
Hanc Deus ; & dabitur , quod cupis , eſſe virum .
Fatiferamque movens , Parnaſſia munera , virgam ,
Supplicis os tetigi terque , quaterque feræ .
Nec mora ; jam turpes abeunt de corpore villi :
Qui modo ſimiolus , vir benè cultus erat .
Non procul hinc aberat vulpecula parva ; vocavi :
Adſtitit ad nutus illa repente meos .
Dic age , quî fueris ? quî vixeris ? unde ferini
Forma tibi rictus obtigit ? illa refert .
Civis eram , tanti meruit ſi nominis uſum ,
Civica cui penſi Jura fuere nihil .
Fallere , mentiri , riſum prætendere labris ;
Corde fovere dolos , ars mihi grandis erat .
O mihi ſi veniæ tandem locus integer eſſet ;
Nil potius cordi ſimplicitate foret .

Tunc

Tunc ego : jam ſupereſt veniæ locus ! exue vulpem :
Ter tetigi virgâ ; nec mora : facta vir eſt .
Ecce canis latrator adeſt : Canis improbe , dixi ;
Qui fueris dudum , ſat nova forma probat .
Sic eſt , ille refert ; cùm priſtina forma manebat ,
Latrator patriâ notus in urbe fui .
Quem non appetii mordacis acumine linguæ ?
Qui rabido læſus non mihi dente pudor ?
Geſtiit effuſis circumflua turba cachinnis ,
Alterius gaudens deſidioſa malo .
At clam meta fui communibus obvia diris ,
Dum ſibi quiſque meo vulnus ab ore timet .
Hactenus è primis res edita fontibus ; hoſpes ,
Quam potes , o , noſtris caſibus affer opem .
Nec mora : ter tactum virgâ conſurgere juſſi ;
Surgit , & abnormi de cane factus homo eſt .
Reſpexi : ruptis Succuſſor adhinnit habenis
Cùm lateri ſonipes protinus ecce meo .
Siſte fugam , dixi ; linguæ tibi largior uſum ;
Dic age , qui mores ? quæ tua vita ? refert .
Succuſſoris equi turpi quòd imagine condar ,
Ne ſtupeas ; quadrat moribus illa meis .
Dulcis amicitiæ detrectans aurea frena ,
Liber & indocilis more vagabar equi .
Quæ non blanditiis adamantina pectora cedunt ?
Qui non blanditiis flecterer , unus eram .
Per fora ſe comitem quiſquam præberet eunti ;
Tunc ego : quin iſthinc umbra ſatelles abis ?
Miſſa ſalus noti mihi nomine forte ſodalis ;
Tunc ego : quem narras ? ater an albus homo eſt ?
O ſi vota pium placarent noſtra Tonantem !
Alter ab antiquo , diſſimiliſque forem .

Subticuit: virgâ luſtro ter vindice, clàmans,
  Eſto vir: indocilis forma receſſit equi.
Interea circum turbâ creſcente ferarum,
  Res celeri viſa eſt expedienda manu.
Quid tibi vis, Felis? nam proximus ille jacebat,
  Confice rem paucis; conficit ille brevì.
Dum patinæ ante oculos; vel dum quæ lingere poſſem,
  Liba dabat quiſquam; grandis amator eram.
At ſimul ille manum ſenſim ſubduceret; omnis
  Protinus immemori corde receſſit amor.
Exuar ingrati ſi Felis imagine; nunquam
  Excidet ex animo gratia tanta meo.
Quod cupis, eveniat: vultus cape, grate, priores;
  Eſto vir; & ſolitum virga peregit opus.
Pſittacus hìc, illic inhoneſto Noctua vultu
  Stabat, & hos inter tertia Pica loquax.
Pica tuæ, dixi, moderabere garrula linguæ?
  Annuit; & virgæ ſenſit amantis opem.
Pſittace, futilibus parces obtundere verbis?
  Annuit; & ſentis Pſittace munus idem.
Dic mihi, rauca ſonans poſthac baubabere bubo?
  Abnuit; & turpis qui fuit ales, homo eſt.
Denique quàm multos fatalis virga ferinis
  Rictibus exuerit, longa referre mora eſt.
His ego ſervatis navim conſcendo; lareſque
  Ingredior ſoſpes, Sancte Quirine, tuos.

DE

DE VITA URBANA

LIBER SECUNDUS.

FElix, humanæ peperit qui plurima vitæ
  Commoda, nec minimo tempore vixit iners!
Primus & inventas de pectore protulit artes,
  Consultum nostris usibus undè fuit.
Scilicet hinc cultis fruges commisimus arvis,
  Consitaque artifici poma fuere manu.
Hinc Thetis, Argoâ primùm pulsante cariná,
  Mercibus ignotas pandere jussa vias.
Astrorum in patriam ferimur quoque; perque rotundas
  Ire licet Martis, Taigetæque domos.
Quid, qui conventus primi docuere, relictis
  Glandibus, & vitæ fœdera prima pati?
Hinc fuit, ut Sancto vis subdita cederet Æquo,
  Et toto leges spargeret orbe Themis.
Hinc per thura coli cœlestia numina cœptum,
  Arcano mentes concutiente metu.
Hæc satis ad vitæ cultum socialis habendum;
  Firmaque præsidiis sat foret illa suis.
At nondum bene culta foret, nisi fortiùs illam
  Urbanus tandem perpoliisset honos.
Scilicet, ut cultis malè carduus horret in arvis,
  Lappaque triticeas proxima carpit opes;
Rustica sic ratio, pinguisque, ac tristis agendi,
  Carperet è tantis commoda multa bonis.
Hinc tibi quos tandem, Casa, persolvemus honores?
  Debita promeritis gratia quanta tuis?

Auſus es urbanas qui primus vellere peſtes,
Ritibus & mores excoluiſſe novis.
Claviger Alcides monſtris purgaverit orbem,
Suſtuleritque olim nomen in aſtra ſuum.
Aſt unis affixa locis tandem ille peremit,
Et quæ conficeret monſtra ſuprema dies.
Suſtulit Alcides Hetruſcus ubique vagantes,
Et, quas mors nunquam perderet ulla, feras.
Hinc ſuper Herculeas tollet te gloria metas,
Vindici & aſſurget libera terra ſuo.
Forſitan & noſtris aliquid quoque verſibus ætas
Addet; & à te olim fama ſecunda ferar.
O ita, Phœbe Pater, voſque, o Sacra turba, velitis,
Pierides, ſtudiis Numina culta meis!
Sed ſatis: en raucæ clamoribus evocor Urbis;
Altera jamque meis meta terenda rotis.
Janus adeſt, Jani cultæ venere Kalendæ;
Ite per urbanas ſedula turba vices.
Hinc gradus officiis, novus unde emerſerit annus;
Augurium primis non leve rebus ineſt.
Ite, Deo, ſuperiſque pias perſolvite grates,
Annuaque in ſanctos ſpargite thura focos.
Omnia munda decent; ſint pallia munda, recenſque
Sit toga: mens omni conſcia labe vacet.
Ecce Quirinali Tarpeius in æde ſacerdos,
Auditas ſuperis tollit ad aſtra manus.
Hoſtia pro populo cadit en devota Tonanti,
Inter Purpureos more litanda Patres.
Junge tuas in vota preces communia ſupplex,
Et breviter voti ſumma ſit iſta tui.
Adjice, qui ſequitur, bone temporis Arbiter, annum,
Omnis ſitque tuo plena favore dies.

Aſpi-

Aſpice, mors quantis viduarit civibus urbem;
  Quotque tumens ſpoliis quilibet annus eat.
O ubi, tot noti, fidiſſima pectora, cives?
  O ubi, quos longo fœdere junxit amor?
Succedunt vultuſque novi, watereſque recedunt:
  Hoſpes & in patriâ cogeris eſſe tua.
Scilicet auferimur; ſenſimque urgentibus undis,
  Conficit inceptum publica navis iter.
Trudimur alternis; puerorum turba juventam
  Urget, & hæc tremulos ſubmovet orbe ſenes.
Mortis ab auſpiciis tremefactus talibus, annum
  Incipe: mors oculos hæreat ante tuos.
Non tamen hoc prohibet, patriæ quin moribus urbis,
  Ritibus urbanis, officiiſque vaces.
Ite ſalutatum Gens officioſa per urbem,
  Auguria & plenâ ſpargite fauſta manu.
Neſtoris huic annos, huic poſcite longa Sibyllæ
  Secula, & his plures addite Myriadas.
Morſque leves quanvis diſcerpat vota per auras;
  Vos tamen urbano vivere more decet.
Non omnes adiiſſe licet: quem caſus amicum
  Offeret, huic mediâ dic bona verba viâ.
At quos patricio de ſanguine noveris, illos
  Ædibus in propriis officioſus adi.
Ecce ſenex famulus mediâ ſeſe offeret aulâ,
  Obſequio nutus præveniente tuos;
Ni grave ſit, dominum paucis te velle, rogabis;
  Si nihil hunc teneat, ſi mora nulla vetet.
Si ſubitò arcanas ultro admittêris in ædes,
  Ut decet, officio fungere rite tuo.
Sin minùs, hæc animo diſpendia temporis æquo
  (Et certè haud tanti eſt indoluiſſe) feras.

Aſpi-

Aſpice, quâ mediâ liber inſcribendus in aulâ
  Proſtat, ibique tui nominis adde notam.
Forſitan hunc tacito percurrens lumine Princeps
  Perleget obſequii pignora certa tui.
Munera Janus amat: Jani date dona Kalendis.
  Urbanus donis teſtificandus amor.
Ecce volant mediâ denſiſſima munera Româ,
  Et memoris partes dona clientis agunt.
Ille manu leporis diſſectos artubus armos;
  Vimineo hic clauſas carcere portat aves.
Cernis ad hæc, quanto vehitur clamore per urbem
  Patriciæ vitulus victima grata gulæ?
Quid Ligurum referam bellaria; quæque magiſtrâ
  Cruſtula gens fingit Parthenopæa manu?
Si tibi non magnæ ſuberunt in munera vires,
  Munera parva quidem, ſed tamen apta dato.
Citrea odorato redolentia cortice mittes,
  Quæque novis certant Luſia poma favis.
Seu magis obſequium miſſo teſtabere libo;
  Aut obeat libi torta placenta vices.
Et ſuus exiguis decor eſt, & gratia donis;
  Parva ſed ex animo ſi dabis, ampla dabis.
Munera ſtare tamen, vel ſenſim creſcere debent.
  Perge, age, quâ primum cœperis ire viâ.
Centum Mexiaco confectas nectare quadras,
  Qui prior attulerit forſitan annus erit;
At cave, poſterior ne quid clàm detrahat annus;
  Neve ſubinde minor ſemper acervus eat.
Sordida res, primo ſi ſtantibus ordine cauſis,
  Ordine non perſtent munera prima ſuo.
Sunt qui barbarico dicunt de ſtipite nata
  Poma, licet triviis empta, Suburra, tuis:

Et

Et genus, & patriam cum munere muneris edunt,
  Nominaque Artificum non ſua ſæpe ſonant.
Sæpe tui, Lyſippe, refert cognomina cæli,
  De grege quod ſculptor vile peregit, opus.
Mucida quæ fuerat, quam circum plurima roſit
  Tinea, Parrhaſias jactat imago manus,
Inſtitor hæc faciat, qui, circumſtante popello,
  In mediâ merces prædicat urbe ſuas.
Munera reſpirent facito tua; poſcere quidquam
  Præcipio caveas, dum tua dona calent.
Quin magis expectes, tepeant dum munera ſenſim;
  Viſaque ſint animi pignora certa tui.
Tunc tibi, ſi quid opus, contendere multa licebit;
  Sterne iter hac votis ſed priùs arte tuis.
Non ſimul ac meſſor ſua ſemina credidit arvis,
  Exigit, ut ſubito fœnore reddat ager.
Et ſua venator clam retia tendit in herbis,
  Ne videat ſtructos plumea turba dolos.
Pábula piſcator fallacibus illigat hamis,
  Certiùs ut piſces, quæ latet, eſca trahat.
Fac cupidis hamus, fac abſint retia donis;
  At ſi fortè adſint, cautus utrunque tegas.
Nunc age; jam noſtras vocat annua ſtrena Camœnas:
  Strena quidem durum nomen, & omen habes.
Cur ego patricias adii malè providus ædes,
  Culta quid officiis aula ſuperba meis?
Nempe quod affector, quod matutinus amicum
  Sæpe tuli domino, more clientis, ave;
Obſidet ecce meos famulorum turba penates;
  Æraque pro ſtrenæ nomine certa rogor.
Sed ſatis: indignas compeſce, Urbane, querelas;
  Hauſtaque de trivio deſine verba loqui.

Hic

Hìc quoque certa dabunt noſtræ præcepta Camœnæ ,
Tu monitus æquâ combibe mente meos.
Scilicet aut nunquam ſtrenam perſolveris antè ,
Aut contra ; medium eſt inter utrunque nihil.
Si nunquam ; perſta nunquam dare : dente tenaci
Anchora , quam fixit , detineatque ratem.
Nunc non eſſe tibi , quos des , cauſabere nummos ;
Explorét loculos læva ſed antè manus.
Nunc tua conveniant , jubeas , conclavia rurſus ;
Si veniant ; forti limina claude ſerâ.
Oſtia ſi pulſent , ancilla erumpat ; & horâ
Hâc dominus rarò , callida dicat , adeſt.
Forſitan his utens (juvat arte repellere fraudem)
Effugies avidos præda petita canes.
Si ſemel at dederis , perſta dare : commoda multa ,
Quam famulo dederis , ſtrena puſilla feret.
Protinus ingredienti ædes aſſurget , & ultro
Præſto aderit , longas expedietque moras.
Quis ſcit , an & famulos domino chariſſimus inter
Ille ſit , & cujus pendeat ore domus.
Res eſt fœda quidem , dominus dum munera ſervi ,
Muneris & partes ſervus herilis agit.
Hoc mutare tuum non eſt : quin utere vento ,
Qui flat , & hæc cymbam ſublevet aura tuam.
Denique , ſepoſitâ quidquid te fraude juvabit ,
Evolet incautas , ne patiare , manus.
Innocui genus aucupii , mihi credite , vita eſt ,
Quod perhibent ipſos detinuiſſe Deos.
Juppiter in terras venandi captus amore ,
Dicitur è ſuperis deſiluiſſe plagis ;
Mox ait ; umbriferas indagine cingite ſylvas ,
O Socii , cunctas perdite cœde feras.

Vix

Vix arcus ſonuere truces ; cum vaſta ferarum
  Corpora ſanguineo procubuere ſolo .
Hoc ego non miror ; nam quâ fera falleret arte ,
  Certa Jovis magni ſpicula miſſa manu ?
Adde Jovis comites , Phœbum , geminoſque Laconas,
  Cum quibus Alcides , Mercuriuſque fuit .
Juppiter intereà : levis hæc , facilisque voluptas ;
  Nec facit ad tantas præda puſilla manus .
Anne feras magnum noſtris procumbere telis ,
  Queis nihil eſt mentis conſiliique nihil ?
Quin homines patriis venemur in urbibus , inquit ;
  Hæc decet excelſos præda ſuperba Deos .
Antè tamen certas venandi diſcite leges :
  Non eſt hoc , temere quod moveatur , opus .
Parcite Sanctum animal veſtris violare ſagittis ,
  Cognatoque vacet noſtra cruore manus .
Illi , quam dedimus , libertas integra conſtet :
  Hæc hominem ad ſuperos evehit una Deos .
Hoc caput , ò Superi ; veſtros , gens inclyta , caſſes
  Sic homines ſubeant , ut ſubiiſſe velint .
Vix ea : in Acteas , miſſis jam ſaltibus , urbes
  Cum Jove ſe Superum contulit alta cohors .
Neve homines frangat Majeſtas clara Deorum ,
  Quilibet humano ſe Deus ore tegit .
Juppiter urbani partes ſibi legit honoris ;
  Quo non ulla homines dulcior eſca trahit .
Oſcula , blanditias , cultum teſtantia verba
  Protulit innumeris ſedulus ille modis .
Excipit hunc capitis prior inclinatus honore ;
  Huic operam famuli , mancipiique locat .
Obvius officiis illum compellat amicis ;
  Ad latus huic patulo vertice pronus adeſt .

Arti-

Artibus his hominum capiebat millia vulgò
  Juppiter ; & prædæ non modus ullus erat.
Aucupis in morem, jucundæ murmure laudis,
  In tua quàm multos retia, Phœbe, trahis!
Quisque capi voluit : nam quis dulcedine laudis
  Non capitur, quanvis se neget ipse capi?
Absentes venabor, ait Cyllenia proles ;
  Hos capere exiguæ non erit artis opus.
Nec mora : distantes quâ compellaret amicos,
  Littera Mercurii prima reperta manu est,
Conferit hanc titulis, prænomina frontibus addit ;
  Margine in extremo seque, diemque notat.
Hanc ubi dente premens ter complanavit eburno,
  Partibus adversis in sua membra plicat ;
Aggerat & rursus titulos ; adscribit & urbem,
  Quam petat : extremum gemma coercet opus.
Protinus in casses venit nova turba recentes ;
  Quæ tantos caperet, parva tabella fuit.
Concursare urbem gemini cœpere Lacones,
  Et procerum in nitidis tecta subire togis.
Fausta ubi se rerum, vel fors infausta tulisset ;
  Commoda temporibus verba dedere suis.
Protinus officiis illecti talibus, ultro
  In nova sese homines retia sponte dabant.
Amphitryoniades, districto robore clavæ,
  Mulctat inurbanos torvus ubique viros.
Quæ fuga, qui risus, dum verbera sæva sonarent
  Undique, & Herculeâ verbera digna manu!
Sub Jove sic homines capiebant Numina quondam ;
  Et digni, superis qui caperentur, erant.
Ite per exemplum, quoniam decet, ite Deorum,
  Vos quoque præceptis turba docenda meis.

Quid

Quid juvat aereos venando excurrere montes?
  Sumptaque in excordes perdere tela feras?
Pulchrius aucupium vestris sese urbibus offert.
  Si sapitis, patriâ tendite in urbe plagas.
Quem non laus moveat? laudando tendite casses:
  Laus tamen à meritis profluat apta suis.
Frigida si fuerit, sordet; si manca, ruborem
  Affert; laus animo deproperata placet.
At cave, ne contra tua stet præconia vultus;
  Sæpe vel intuitus destruit illa tacens.
Laus sit compta velim; fuerit tunc compta decenter,
  Fimbria si Vero nexa sit ante brevis.
Hic erit ad primos belli subvectus honores;
  Purpuream in patriâ cœperit ille togam;
Segnes rumpe moras; gratatum excurre per urbem;
  Hæc erit aucupiis area digna tuis.
Debita quod tandem sibi præmia cognita virtus
  Cœperit, officii summa sit ista tui.
Forsitan oppressus morbo languebit amicus:
  Protinus ille domi conveniendus erit.
Quam potes, affer opem, dic consolantia verba;
  Quæque levent morbi tædia longa, refer.
At cave, strata premas lecto projectus eodem,
  Nec medici partes tristis obire velis.
Quominùs invisas, si quid remorabitur, ægrum,
  Missus ad hunc domini nomine servus eat.
Præferat hic flores, munuscula grata, recentes,
  Pharmaca ubi tremulâ sumet amara manu.
Postquam convaluit, vires ut farciat ægras,
  Mitte tuæ pingues tempore chortis aves.
Si præmaturum tibi quid submiserit hortus,
  Devolet huc animi nobilis arrha tui.

Tali-

Talibus illiciis hominem venabere ; teque
Evehet ad ſuperos inclyta præda Deos.
Cui res nulla ſatis, cui non ſatis orbis, & æther,
Aſpice, quàm pretio væneat ille levi.
Majus opus ſupereſt; pullis inſignibus orbam
Cum mors elato fecerit enſe domum.
Ergo ubi ſat primi conſedit cauſa doloris;
Cœperit atque aliquem luctus habere modum;
Vel prior, aut primos inter te ſedibus offer,
Mors ubi funereas extulit atra faces.
Civica quas dederit tibi tunc facundia, vires
Exere, & appoſitis ſuggere verba modis.
Dic age, non aliter tali te funere mœſtum,
Fratre tuo mœſtus quàm moriente fores.
Objice præcipiti quàm ſtent mortalia lapſu,
Noſtraque ſit quantâ condita nube dies.
Denique, divinis obſiſtere nutibus ultrà,
Haud bene morati dixeris eſſe viri.
Fac doleas; præceptor erit dolor ipſe dolendi.
Sin minùs; at ſpatio finge dolere brevi.
Profuit & multis urbano littera cultu
Scripta; decet verſus res quoque tanta meos.
Sicubi longinquis verſatur amicus in oris,
Mitigat inviſas littera ſcripta moras.
Littera commendat, titulis gratatur adeptis,
Condolet, hortatur, nunciat acta, monet,
Littera mercatur, contracta negotia curat,
Cauſidicos acuit, triſte tribunal adit.
Luſerit illa velis; ſalibus conſperſa decenter,
Mille ciet ludos comptula, mille jocos.
Sit gravis illa cupis; contracto ſeria vultu,
Quæ deceant Curios, ora ſevera capit.

Mixta

Miſta ſit illa jubes? formæ ſeſe aptat utrique,
  Seria parte ſui, ludicra parte ſui.
Sit brevis, hoc primùm, nec ventre tumeſcat obeſo
  Littera, pacato quam cupis ore legi.
Altera dos, nullis ambagibus illa legentem
  Angat, & indubiæ nuncia mentis eat.
Non elumbis ad hæc,non languida,quidquid agendum
  Urgeat, ingenuâ ſimplicitate decens.
Quis furor eſt miſſis aures obtundere verbis,
  Nulla ubi ſcribendi cauſa, nec apta ſubeſt?
Nam rogo, quis fatuo redimendas ære tabellas,
  Verbaque ſtultitiæ plena legenda putet?
Atque aliquis, tacito queribundus murmure ſecum;
  Quid ſibi vult verbis garrulus iſte ſuis?
Vile miniſterium tunc littera miſſa ſubibit,
  Aut dabitur ſubitis ſplendida præda focis.
Quid titulis levius? quam ſunt ſine pondere verba?
  Qui ſapit, hæc ſcribens ſpargat utrâque manu.
Turpis avarities ſemper, ſed turpior illa
  Eſt nunquam, urbanis quam ſit in officiis.
Ad leviora vocor: veteri ſcripturus amico,
  Non eſt quòd timidâ ſingula lance probes.
Si levis effluxit calamo torpente litura,
  Non eſt, quòd ſcriptum dextra retexat opus.
Tunc quoque gentilis notiſſima ſtemmata gemmæ
  Ænea ſphinx curvo ſuppleat orbe, licet.
Tota ſed obſequium fac ſpiret epiſtola contra,
  Principis in dominas quam cupis ire manus.
Tunc cave, litterulis ſit epiſtola conſita denſis;
  Splendida quin lato margine cera vacet.
Quid ſuper ingenui eſt? mentitur epiſtola ſæpe,
  Paginaque innumeris peccat amica modis.

Littera quòd nunquam ſibi venerit ulla, protervo;
Hanc licet hic dudum cœperit, ore negat.
Pejerat hic, ſerò ſibi reddita fida ſodalis
Verba; licet fuerint tempore lecta ſuo.
Hic permutatis perfrictâ fronte Kalendis
Utitur, adſcribens, quem velit, ante diem.
Eſt, qui nunquam adeat tabularia publica, miſſas
Ne redimat miſero ſordidus ære notas.
Quid tibi profectum poſt hæc conamina? mendax
Audis: iſta tui ſumma laboris erit.
Nunc Cæremoniis quidquid præſcripſerit uſus,
Quæ præſtanda tibi, quæque cavenda, canam.
Ne tamen ignotæ fallaris origine vocis;
Ritibus his nomen cærea pompa dedit.
Vox valet affinis: tædis præeuntibus aras
Nam velut ore gravi Myſta verendus adit;
Haud alio gaudet luſtrari civica ritu
Turba: ſuum obſequii vel fora carmen habent.
Te vocat hic Dominum, ſervum ſe devovet alter;
Signaque adorantis plurima vultus habet.
Non tamen urbanos vitiant mendacia ritus:
Qui labem hanc illis detrahat, uſus adeſt.
Detrahit occultè ſignis vim talibus uſus;
Et ne verba ſonent, quæ ſonuere, facit.
Si tamen urbanas ultrà graſſabere leges,
Officiis mendax tunc eris ipſe tuis.
Non decet in fraudem ſignis civilibus uti;
Cùm jam non illis publica cauſa favet.
Dixerit hic aliquis: curvâ mihi fronte colendus,
Quem modò Sors cæco vana favore tulit?
Hunc quoque rite colas; frontem ſubmitte ſuperbam
Quiſquis es, & titulis devenerare ſuis.

Tu-

Tu quoque Fortunæ, levis oſtentator avorum,
Naſcenti trepidâ porrige thura manu.
Priſca juvent alios: ſervire recentibus annis
Me decet: ingenio blandiar Urbis ego.
Ipſe feram noſtro placituram more ſalutem;
Quæque juvent aures publica verba ſequar.
Meque catenatum tibi vivere ſponte fatebor:
Deteret at noſtrum nulla catena latus.
Ferre jugum impatiens, nullique ſubeſſe paratus,
Mancipium dicar tempus in omne tuum.
Vidi ego ab affuſis herbam dulceſcere lymphis,
Quæ deguſtanti nuper amara fuit.
Et gladium longo paulatim obtundier uſu,
Cui novus in clades antè nitebat apex.
Aſpera ſervitii ſic nomina mitigat uſus,
Atque acie careant, quâ feriare, jubet.
Urbs, ætas, tempus, diſpar fortuna regendis
Officiis leges, juraque multa dabunt.
Non, qui magnificis ritus celebrantur Iberis,
Sequana quos ambit, quoſque Garumna, decent.
Bellica non cultu Germania gaudet eôdem,
Anglia quo gaudet claſſibus apta coli.
Grandibus officiis, tituliſque ſonantibus aures
Nobilis aſſuetas Parthenopeus habet.
Leniùs Hetruſci ſe compellare per urbem,
Cum verba expediunt officioſa, ſolent.
Commoda quin etiam peragendis tempora noſces
Officiis, peccet ne tuus inde labor.
Viſeris obſtrictum curis; quæ verba paraſti,
Carpe, fatigatis auribus æqua minùs.
Cui bona ſimplicitas, vitæque modeſtia cordi,
Hæc obeat parcâ prima Juventa manu.

Invalidam ſuſtentat honos, paſcitque Senectam:
Hinc vacet officiis laxiùs illa ſuis.
Hæc utrâque manu, per mutua verba viciſſim,
Quos gradus extollit, muniaque ampla, ferant.
Talibus abſolvit plebem ſed legibus uſus;
Reddere cui cultus publica ſigna ſatis.
Debita quæ fuerint, perſolve libenter, & ultrà
Quàm debes, aliquid ſponte vel adde tuâ.
Juſtus Eques nondum, ſed plus quam hic Civis, habetur;
Hunc Equitis juſti devenerare loco.
Compellandus erit, quem nunquam videris ante;
Ne pecces, titulo nobiliore voca.
Utere blanditiis ſapienter: dextera ceſſet
Ut tua, multiplici fœnore dives eris.
Juſta fluant primùm; ſin fortè receditur æquo,
Paulò laxa magis pallia noſtra volo.
Non tamen, ut totâ ſim fabula turpis in Urbe,
Syrma giganteum poſt mea terga trahens.
Sic ubi quæ debes, palmo perſolveris æquo,
Hæc face judiciis uberiora tuis.
Dexterior tibi fortè locus debebitur; illum
Rejice; ſin urget turba ſodalis, habe:
Innue quin potiùs te cedere; remque latenter
Argutæ peragant voce tacente manus.
Hactenus urbanis parendum eſt ritibus: ultra
Addideris quidquid; tempus inane teres.
Quâ modico nuper vix laxa patebat hiatu
Janua, rixantes unus, & alter erant.
Grande caput belli, qui primus in arcta ſubiret
Oſtia; ſpectator non procul ipſe fui.
Tu prior anteeas: non fiet, protinus alter;
Tu meritis potior, te præeunte ſequar.

De-

Debita quæque ſibi contemnere velle, ſuperbum eſt:
Pugnatum ſatis eſt; me ſubeunte, præi.
Profectura nihil cum verba videret uterque;
Viſa eſt conſertâ lis dirimenda manu.
Hic trahit, hic retrahit, retrahentem fortiùs alter
Adducit: dubio nutat uterque gradu.
Rixa caleret adhuc; falſo ſed poplite preſſit
Alter in alterius membra volutus, humum.
Protinus inclamant: caſum vicinia riſit.
Cum duo pugnarent, victus uterque fuit.
Unde tamen patribus jam pridem incognita noſtris
Regna per Auſoniæ gliſcere viſa lues?
Hic cæremoniis ſedes, hic Regia; nuſquam
Videris has tantâ relligione coli.
Hic & blanditias, & verba ſonantia pulchrè
Vendere compoſitis edidicere modis.
Deme coloratis formoſa putamina pomis;
Sub vacuo nucleus cortice nullus erit.
Scilicet hinc nervis elanguit icta reſectis
Virtus, quæ priſcos condecorabat avos.
Thraciaque hinc capto ſervilia vincla Quirino
Eſt modò barbaricis ferre minata ſonis.
O Superi meliora! feræ præſagia gentis
Tradite Carpathiis dilaceranda Notis.
Auguror: en, verſis fugient Getica agmina ſignis,
Pallidaque Odryſiâ cæde calebit humus.
Eſt virtus, animuſque, pareſque in prœlia vires:
Thrax, melior nobis cauſa; pudenda tibi eſt.
Vincimus ut causâ, ſic & vincemus in armis:
Et Superi cauſæ conſuluere boni.
Jam quatit Hungaricos numeroſo milite campos
Cæſar; victrices jam ſonuere tubæ.

Bosphorus, & Pharii tremuerunt ostia Nili:
 Jam minor in sese colligit Hebrus aquas.
Ite bonis avibus; vestris Victoria signis
 Militat, & facilem fertis in arma Deum.
Jam caput in palmas vobis inclinat Idume,
 In serta & totis optat abire jugis.
Prole nova Carolum populis plaudentibus auctum
 Augete, & regnis Numina sancta novis.
Cresce puer, risuque tuam cognoscere Matrem
 Incipe; vincendo mox imitare Patrem.
Te Byzantinæ sua per suspiria matres
 Concelebrent: somno hæc nænia digna tuo.
Mox ego bella Patris, præclaraque Cæsaris arma,
 Ingenti, annuerit si Deus, ore canam.
Dum loquor hæc, Erato nervis majora parantem
 Risit; & urbanum perfice, dixit, opus.
Et jam festa vocant urbis Spectacula vatem:
 Hic quoque, quæ vobis digna legantur, erunt.
Si non barbaricis devincti colla catenis
 Anteeunt currus, captaque signa Duces;
Si nec Oronteis advectaque Tigris ab oris
 Terret Romanas sanguinolenta nurus;
Sunt sua sacrificæ spectacula regia Romæ;
 Quæque decent saturæ gaudia pacis habet.
Mulciber igne potens quoties accitus in urbem
 Ludicra festivis ignibus arma movet!
Aspice laxatis ut fontibus impleat ingens
 Æquor Agonalis vasta theatra Fori.
Sunt quoque Flaminiæ spectacula multa jocosæ:
 Non te, quin adeas, carmina nostra vetant.
Cum Libyci laxantur equi de carcere, cumque
 Festa coronatus jam sua Bacchus agit.

Non-

Nonne vides quantos temo aureus Æmilianos,
Nonne vides quantos currus Othonas agat?
Laxiùs officiis hìc indulgete Quirites:
Publicus hoc veſtræ poſtulat Urbis honos.
Scilicet hoſpitibus tunc fervent compita magnis,
In quibus & Romæ plurimus hoſtis adeſt.
Quid, ſi fortè aliquis patrias ubi venerit oras,
Multa ſuper Româ gens & amica roget,
Dixerit: eſt ingens, templis ſpectanda, viiſque,
Et procerum domibus; comis at illa parum.
Quid loquor, externis Orator miſſus ab oris,
Cùm ſacra Tarpeii limina Patris adit?
Tunc licet effuſos per compita cernere currus,
Et populum Româ deficiente premi.
Quæ te rixa manet cubitorum: Ruſtice longè!
Ah nimis impreſſo lædor ab ipſe genu.
Quid facis o demens? cùm ſis hoc corpore, ſaltem
Debueras patulâ fronte ſubeſſe procul.
Nec vos cæſaries cirris intorta magiſtris,
Nec toga criſpato fallat honeſta ſinu.
Sæpe ſub egregiâ mendacis imagine cultus
Vile caput latitat: credulus eſſe cave.
Hoc quoque: fœmineum triviis undantibus agmen
Ut nullo paſſim more licenter eat?
Non ſatiùs curare lares? non verrere ſordes?
Immundæque foret paſcere Cortis aves?
Ite domum celeres, lanam mollite colendo,
Neſtoreæque Aviæ, Priamideſque Nurus.
Vos quoque, vos raro ſpectacula viſite, cœlo
Quos monet addictos raſa, breviſque coma.
His ego deterior viſis plerunque receſſi;
Non unquam melior; me mea damna movent.

Ite per Exquilias, & ſola Palatia bini;
Ite, Quirinalis ſcandite montis iter.
Collis Aventini quem non clementior aer
Mulceat? hìc totos me juvet eſſe dies.
Et modò curſantes ſpectarem in flumine lintres,
Et modò curvatas mercibus ire rates.
Ruraque Pamphiliis intrarem grata Camœnis,
Jugera non magni, ſed bene culta, ſoli.
Et ſimul indigitans: hæc magnus in atria * Princeps
Se confert Urbis ſæpe peroſus opes.
Sicubi mens toto ferveſcit Apolline, vix hæc
Docta volutantem carmina cella capit.
Verſantem omnigenæ monumenta perennia famæ
Excipit hæc Domino bibliotheca minor.
Aſſidet ingenti gravis hic Torquatus Alumno.
Hæc Aligherio ſella parata ſeni eſt.
Hâc comes in ſpondâ Petrarcha recumbit, & artis
Pandit inexplicitas interioris opes.
Pompa manet major; ſpectacula parva faceſſant;
Explicat en totum par ſibi Roma jubar.
Ecce triumphali ſcandit Capitolia ritu,
Claviger ut capiat publica ſceptra Pater.
O quales videas educi ad ſidera moles!
Quanta coronatis pegmata ſtare viis!
Ille Deum ſacræ teſtatus frontis honore
Format adoratâ ſigna verenda manu.
Regnet, Io, longùm Pater Innocentius, Urbem
Soſpitet hanc: populi plauſus ubique ſonat.
Da Pater, oh, fruges, da publica commoda vitæ,
Adde levaturam tempora mortis opem.

Flos

* *Eminentiſs. & Reverendiſs. S. R. E. Card. Benedictus Pamphilj.*

Flos procerum, lectique Patres, Princepsque Juventus
In lemniscatis alta renidet equis.
Fac aliquis lateri peregrinus adhæreat hospes;
Multaque te cursim nosse docente velit.
Qui labor ignarum per singula ducere? saltem
Innue purpureos, nomina certa, Patres.
(1) Hic est [nosce Senem per magna negotia tritum]
Cui Themis agnomen Judicis alta dedit.
(2) Spinula pone subit: qui sit, Germania testis;
Ille Palatini fulcit Atlantis onus.
(3) Annibal hic, sed pone metum; vetus ille timendus
Quam fuit; hic tanto dignus amore recens.
(4) En Coradinus adest; docti geminate Quirites
Obsequium; dantis Principis ille Manus.
Hæc ubi præstiteris, tibi protinus advena grates
Reddet, & o, dicet, comis amice, vale.
At vos sic raptim præconia vestra canenti
Parcite purpurei, Regia turba, Patres,
Non animus vati, sed latior area desit;
Area fac adsit commoda, quantus ero!
Nempe ego te meritis præstantem insignibus, Urbis,
Aquaviva (5), decus grande silere velim?
(6) Natus ad imperium quam sis, Renate, docerem,
Mensque tibi ut vires suggerat ampla pares.
(7) Ottobonum canerem? quàm justo carmine vellem,
Grandia magnifici Principis orsa loqui!
Quid splendoris habet, quid Gallia nominis, unus
Edite Regali stirpe, Roane (8), doces.

De-

Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Cardinales. (1) *Franciscus Giudice.* (2) *Georgius Spinula à Secretis Innocentii XIII. P. O. M.* (3) *Annibal Albani.* (4) *Petrus Corradini Prodatarius.* (5) *Franciscus Aquaviva.* (6) *Joseph Renatus Imperialj.* (7) *Petrus Ottoboni.* (8) *Armandus de Rohan.*

Denique, quæ Latii Majeſtas clara Senatus;
Dicere, dulce mei carminis eſſet onus.
Hæc ego conarer; ſed plura efferre parantem
Ad mea penſa iterum durus Apollo vocat.
Quid tibi præcipiam de ludis? hic quoque reſtat
Actus; & hìc virtus undè probetur, habet.
Vidi ego quem gravitas, quem frons operoſa tegebat,
Non ſemel hìc animi ſigna dediſſe levis.
Prodimur interdum ſtudio fallente ſoluti;
Et rimas animus ſæpe remiſſus agit.
Sunt qui fortuitò, nullâque reguntur ab arte:
Arte alii conſtant, quâque regantur, habent.
Effuge fortuitos: mala ſors dominatur in illis.
Tu tua fortunæ credere vota potes?
Ludere par impar, digitiſque micare rotatis,
Quis dubitet, noſtrâ cautus an arte vetem?
Ah, talis prohibete manus fallacibus: oſſa
Lingat apud ſtygios Cerberus iſta lacus.
Eſt quoque, quæ præfert regalia ſigna, papyrus,
Multiplici varios picta colore ſinus.
Dixeris: hâcne tuis prohibemur legibus uti?
Fortunâ ſiquidem conſtat, & artis ope.
Lude: ſupercilio non ſum, mihi crede, ſevero:
Non cecidi ſummo tertius Axe Cato.
Sed cave ſit præceps, cave ſit tamen alea pernox;
Stulta nec antiquas alea perdat opes.
Lude minutatim; procul hinc procul exulet aurum:
Quæ minimo ſolvas æra dolore, probo.
Sed ludis cùm fortè queas levioribus uti,
Cur teneat cupidas alea vafra manus?
Eſt cancellato pila fuſte levanda per auras;
Tenſa cave fugias retia, victor eris.

Aſpi-

Aſpicis ut tumido ſe follis ventre per auras
  Circinet, ingenti ſubſiliatque gradu?
Ludendi modus haud ſimplex: vel calcibus illum
  Tolle, vel obnubens brachia trudat Acer.
Eſt pila, pulvereo quæ tramite fagina fertur,
  Grandibus atque ſolum trudibus acta quatit;
Eſt quæ menſa cavis ſubſidit hiatibus anceps,
  Miſſile quâ certâ lege rotatur ebur.
Si tibi ſunt firmæ vires, primum elige ludum;
  Ludus, qui gracilem juverit, alter erit.
Eſt & teſſerulis bicoloribus area pugnax;
  Area & hæc digitis ſæpè terenda tuis.
Eſt quoque militiæ peragendus imagine ludus;
  Aſpicias; pugnans agmen utrinque putes.
Hunc luſiſſe velim, ſi mentis acumine præſtas:
  Non facit ad tardos teſſera docta viros.
Hoc ſibi, quid mirum, Palamedes vindicat auctor,
  Ingenio, dubium, major, an arte manus.
Hinc armis quæſita quies, cùm marte decenni
  Protraherent lentos Pergama ſera duces.
Hoc Ajax, hoc ſæpe ferox ludebat Achilles:
  Hoc Stenelusque ſagax, Actorideſque puer.
Publicaque Argolici qui mens, qui lingua Senatus,
  Hoc ſolitus noctem fallere Neſtor erat.
Tu quoque qui linguâ, qui Neſtora moribus anteis,
  Purpureæ columen grande decuſque togæ,
Hinc ſolitus, Corſine, tuis accerſere curis *
  Otia; vel ludens par tamen ipſe tibi es.
Juro per Aonios, mihi maxima Numina, fontes.
  Et per quidquid habent Regna canora ſacrum;
Nau-

* *Eminentiſſimus & Reverendiſſimus S. R. E. Card. Laurentius Corſini.*

Naupliades tecum certet; devictus abibit:
. Dicet &, inventis sum minor ipse meis.
Certet Atlantiades tecum; quos ille moveret,
Excuteres celeri dexteritate dolos.
Dicet & admirans artem ludentis Apollo;
O quantum hic nostri magnus Alumnus habet.
Quid quod nobilium tua sic patet aula coronæ,
Ut melior redeat moribus aucta tuis.
Adde quod, & doctis fervent conventibus ædes:
Angulus ille sophis, vatibus iste patet.
Multum Roma tuis debet virtutibus; esto:
Deliciis debet non minus illa tuis.
Ergo memor nostri, fueris quicunque, libelli,
Hæc servata tuo pectore semper habe.
Ite procul, tristesque minæ, rixæque procaces,
Gaudiaque immodicis exululata sonis.
Viceris; & nummos lusoria mensa paratos
Offert; cunctatrix auferat æra manus.
Æra, licet victus, nondum hic numeravit, amico;
Ut solvat, monitum comiter ore velis.
Dignior adveniet; nec pluribus apta ferendis
Mensa: jube partes impleat ille tuas.
Vidi ego, qui totis se se demitteret ulnis
Victor, & injectâ raderet æra manu;
Quique procax crebris diduceret ora cachinnis,
Surgeret, alternas concuteretque manus.
Quàm malè cantillas, & mensam pollice pulsas,
Verba ferens dubiis suspiciosa notis.
Tunc quoque parcendum salibus: victoria victum
Intempestivis urit amara jocis.
Jurgia discedant: odi, cum rupta boatu,
Redde meum, clamant atria, tolle tuum:

Ve-

Vela legit, portumque subit vix fune soluto,
Qui dubias primo flamine sensit aquas.
In sua molle pecus subducit ovilia pastor,
Cum pluviæ signum garrula fecit avis.
Tu nova quid pergis per damna lacessere sortem?
Si minùs hæc fuerit dextera, vela refer.
Vela refer, portumque subi; res credula ludus.
Si non vis ultrà perdere, perde semel.
Quid miser hîc moneam, ne bile incensus amarâ,
Iratâ laceres ludicra signa manu?
Quodque magis fuerit, ludum mirante coronâ,
Ne rumpas tristes ore sonante minas?
In tua neve voces superos mendacia testes,
Deducens omnes torvus ab Axe Deos?
Sed non roboreo doceo de stipite natos,
Quosque ulnis aluit torva Megæra suis.
Qui spectator ades, tantùm spectare memento:
Nec ferat invisos garrula lingua sonos.
Innue nil oculis, neu sis nugator ineptus;
Nec cubito quenquam multa docente premas.
Arbiter eligeris; certamina tolle sequester,
Constanti referens, quæ tibi visa, fide.
Hæc mihi sat fuerit monuisse: sed avolat annus
Interea, celeri vectus ad astra rotâ.
Jam caput October cinctum frondente coronâ
Extulit, & Baccho fervida musta tument.
Ecce quies Anni; cessant fora rauca, clientum
Ad rixas, surdâ stertit & aure Themis.
Jamque capillatos de more magister Ephebos
Liberat: ad tempus garrula transtra tacent.
Me quoque par subiit circumsita rura cupido
Visere: Pieridum turba valete brevî.

Quin

Quin magis o mecum Latias paulisper in oras
  Cedite ; & hìc etiam , quod doceatis , erit .
Ille tuos subeat , nemoralis Aricia , colles ,
  Antraque congressu nobilitata Numæ .
Hic juga Telegoni sublimibus ardua villis ,
  Te petat hic clivis molliter Alba tumens .
Ast ego Tybur amem ; me Tyburis ora supini
  Allicit , irriguis ora salubris aquis .
Quid mihi vobiscum platanorum ingloria pubes ?
  Cultaque regali rura supercilio ?
Me juvat arte carens , & non fucata voluptas ;
  Spontè parata sequor ; nil operosus amo .
Hìc modo fatidicæ properarem in templa Sibyllæ ,
  Templa vetustatis penè verenda situ .
Et modò cunctantem revolutus monte teneret
  Inter præcipites trux Anienus aquas .
Nunc Mecænatem baculo subnixus adirem ,
  Nunc canerem antè tuas , Flacce diserte , fores .
Tu modo quisquis eris , sic proxima rura subibis ,
  Urbis ut oblitus non videare tuæ .
Hæreat hæc oculis , hæc hæreat insita cordi :
  Illius ad normam dirige , quidquid agis .
Multa tamen nostri connivent rure libelli :
  Non mea de tetricis Musa Deabus erit .
Vestis , & ornatus minùs hìc operosa supellex
  Sit tibi : simplicitas rura , nemusque decet .
Indica , dum graderis , gressus sustentet arundo :
  Hæc tibi pro famulis , hæc tibi currus erit .
Pone supercilium , cùm rure moraberis , Urbis :
  Fronsque nec indigenas obruat alta rudes .
Curia parva quidem , sed Curia : purpura Patres
  Crassa suburbanos velat ; honora tamen .

Quid

Quid mihi Roma tumes? tua si primordia spectas,
  Ipsa etiam, dices, campus & herba fui.
Parciùs officiis hìc utere: desipit, urbis
  Tædia qui secum, vel procul urbe, vehit.
Discursare vagum, dominas ambire quadrigas,
  Et procerum lateri continuare latus;
Concubiâ cætus producere nocte loquaces,
  Ludere, inexhaustâ ducere vina manu;
Hoc est ingenui corrumpere gaudia ruris.
  Hei mihi quàm multos decipit iste furor!
Indè redux aliquis maciem præposterus affert,
  Protinus & medici postulat æger opem.
Quem non aucupii delectet honesta voluptas?
  Aucupis in morem falle latenter aves.
Nec pudeat crasso tunicatum incedere cultu,
  Aut lateri peram supposuisse tuo.
Sibilus ære cavo de collo pendeat aptè:
  Mentitos volucrum disce referre sonos.
Hinc poteris curtæ supplere peculia cœnæ;
  Hinc poteris totâ stertere nocte satur.
Præda redundabit; dulces asperge sodales
  Parte tuæ prædæ; sic benè comis eris.
Quem minùs ista juvant; hic psallat, inambulet, oret,
  Lectitet, exscribat: rus quoque Pallas amat.
Mitte crumenisecæ clamosa volumina Baldi
  Ad tempus; genium solvat Apollo tuum.
Quo me rura vocant? cur hæc prolixiùs æquo
  Persequor? o veniam, Lector amice, dato.
Ruris amatrices quis nesciat esse Camœnas?
  Quid mirum, hic vates si quoque tangit amor?
Ast ego præcipuè; nam quæ mala tempora nostris
  Urbibus incumbunt! ruris amore trahor.

Fal-

Fallere, mentiri, ſtantem pervertere, plauſus
  Fingere, vipereos corde fovere dolos,
Hoc balbi docuere Senes, didiciſtis Ephebi:
  Hoc viget; hoc Urbis vivere more vocant.
Juppiter humanâ luſtrabat imagine terras,
  Fidus Atlantiades cui comes unus erat.
Virga gradum firmat: fluitabat mantica tergo;
  Exhauſtis levior mantica facta cibis.
Deque viâ feſſos, longiſque erroribus actos
  Cœperat occulto vellere dente fames.
Oſtia, quod poſſunt, pulſant de more per urbes;
  Exiguamque petunt ſupplice voce ſtipem.
Exilit, & paulùm reſerans ancilla feneſtram,
  Quam petitis, præſtet Juppiter, inquit, opem.
Atque aliquis, falsâ reputans ſub imagine fures,
  Oh faveat vobis, dixit, Atlantiades.
Juppiter intereà; quænam gens incolit Urbes
  Ferrea? ut in miſeros ſaxea corda gerit!
Tentemus ſilvas: priſcæ pietâtis imago,
  Et pudor in ſilvis fortè ſuperſtes erit.
Non procul exiguo ſurgebat villula tecto;
  Prodidit hanc index fumus; adire placet.
Oſtia vix pulſant; pulſantibus obvia limen
  Pandit, &, o Juvenes ſcandite, Baucis ait.
Præſtat idem tremulâ ſenior cervice Philemon:
  Prolis uterque expers; hi duo tota domus.
Juppiter, o priſcæ, dixit, virtutis imago,
  O quos longævus penè ſacravit amor!
Urbibus ejectos cunctis, ludibria vulgi,
  Hæc tandem miſeros excipit una domus.
Hæc inter; parvamque caſam, tectumque ſubibant;
  Parva, ſed ingenuo munda nitore domus.

An-

Antevolat Baucis, sarmentaque largiùs igni
  Addit, & exanimes promovet ore faces.
Olla aderat privata focis, quæ jure suillo
  Caulibus immisto, cœna duobus erat.
Additur hospitibus tum lacti concolor hædus,
  Seposita in festum mensa beata diem.
Ipsa præest ollæ, roburque saporibus addit,
  Quiddam dulce afflans, fœmineumque cibis.
Segnior haud illâ nitidum mantile Philemon
  Explicat: hîc crater: ponè Lyæus erat.
Discumbunt, varioque epulas sermone morantur
  Numina; nec Baccho parcit avara manus.
Quoque minùs parcit, cyathosque benigniùs haurit,
  Semper inexhaustus dat nova vina calix.
Sensit ubi Baucis succrescere sponte Lyęum,
  Numen adest, clamat territa, Numen adest.
Djque senectuti faciles ignoscite nostræ:
  Simplicitas certè crimine nostra caret.
Juppiter interea Numen cœleste fatetur;
  Visus & est, cœli quantus in arce tonat.
Confirmansque Senes; veniam vos poscitis, inquit,
  Et mihi vix grates reddere posse datur.
Templum erit ista domus, jam non habitabilis ultra:
  Tanti est hospitio demeruisse Jovem.
Et vos ite malæ vestris cum civibus Urbes,
  In quibus antiquus degeneravit honos:
Hæc ubi dicta; solum celeri vertigine volvi,
  Inque suâ parvi sidere mole lares.
Proque casâ Templum subito venerabile surgit;
  Et jussi templo ritè præesse senes.
Quæque suis Superos pepulerunt finibus, Urbes
  Obruit effusis vastus hiatus aquis.

Protinus in ranas cives abiere : moleſtum
  Nempe peregrinis, hoſpitibuſque genus.
Pauca quid hoſpitii nunc condere jura vetamur?
  Has quoque ſuſtineas, parve libelle, moras.
Annuit: ecce tuas ocreis vallatus ad ædes,
  Provectàque madens nocte ſodalis adeſt.
Quid, ſi non monitum te fecit epiſtola? quid, ſi
  Non ad condictum venerit ille diem?
Surge toro properè, charumque amplexus amicum,
  Necte moraturas in ſua colla manus.
In tua deinde manu prenſum conclavia duces,
  Fartus ubi plumâ commodiore torus.
Tunc modicos cœnæ velit excuſare paratus,
  Utque boni vultum conſulat ille, roga.
Altera lux menſæ fac damna rependat iniquæ
  Lautior; at dives nolo ſit illa nimis.
Hoſpitium exercet nimiùm qui largiter, ille,
  Quem recipit, longè comiter ire jubet.
Diſplicet hoc meritò: quid ſi frons aſpera rugis
  Hunc fuget, & tacito nutus in ore loquax?
Quique dies inſtare minùs peragrantibus aptos
  Succinit, indubiæ garrulus auctor aquæ?
Tu quoque digrediens alienas hoſpes in ædes
  Quid malè ſuſpectas protrahis uſque moras?
Eſſeda, ſervitium, curto cauponula tecto
  Fac capiat; domino ſic leve pondus eris.
Quin, ſimul in ſedes fueris delatus avitas,
  Protinùs hoſpitii fac videare memor.
Officioſa tuâ pararetur epiſtola dextrâ:
  Non tamen hæc ſterilis pignus amoris eat.
Adjice quæque tuam deceant munuſcula ſortem,
  Quæ patrii fructum dixeris eſſe ſoli.

Hoc

Hoc fumus ingenio pars pleraque ; commoda tantùm
Ut fua, præterito quifque pudore, velit.
Quis non, cum valeat, medicos contemnit ? & idem
Ad medicam fupplex confugit æger opem.
Ille tuus fautor, quo dudum exceptus amice es,
Cafus, in urbe tuâ, fic tulit, hofpes adeft.
Hæc mora nota tibi ; lux eft jam tertia ; ceffas
Vifere ? quid ceffas Ruftice ? redde vicem.
Quod fi noluerit, precibus compelle, dolofque
Adftrue ; quàm dulces funt in amore doli !
Quid, fi fortè, tuâ cum fe feret obvius urbe,
Hofpitis effugias prætereuntis iter ?
Oftia pulfanti quid fi te dicat abeffe,
Mentitus falfi nomine fervus heri ?
Non tamen hoc quenquam deterreat ; ire per urbes
Quo minùs, & patriam deferuiffe velit.
Ite vagi, terrafque bonę luftrate Parentis,
Ite per immenfæ tecta rotunda domus.
Tædia multa viæ, terrâque, marique fubibunt ;
Hei mihi, defertos fæpe querere lares,
Perge : viæ pretium laturus grande ; redibis
Auctior ; hoc quamvis fola crumena neget.
Quos tu non mores populorum, infignia, ritus
Noveris, inque fuos regna dirempta gradus ?
Qui Ligurum fplendor, cultæque opulentia gentis,
Quantus in Allobrogum finibus extet honos,
Ut vigeat, femperque recens adolefcat, & ævum
Nefciat, Adriaci Fœmina magna maris,
Quàmque tenax recti fit fortis Iberia, quantus
Lufiacos teneat relligionis amor,
Quàm folers fit Belga, potens quàm claffe Britannus,
Quàmque fit Urbanæ Gallia laudis amans,

Hæc tu de facili properante docebere curru.
  Doctor Iter multis & via longa fuit.
Cætera deficiant fac commoda: comis avitos
  Crede mihi repetes, rusticus ante, lares.
Ille tumens animus patrii mirator agelli,
  Quique suæ reputat singula nata domi,
Concidet; ingentes simul advena veneris urbes:
  Constat ab eventu judice certa fides.
Quidám nuper erat levis ostentator avorum;
  Jactabat stultas, stultior alter, opes.
Casus ubique valet: Romam contendit uterque,
  Jam non garrit opes alter, & alter avos.
Ille suos inter patrio plaudente theatro
  Doctus habebatur; nec, puto, stipes erat;
Parisios venit, studiorum, & Palladis arcem:
  Venerat huc doctor, moxque docendus abit.
Infelix! primis qui quam vagitibus infans
  Impulit, hac balbus repit in æde senex.
Ultima regna putat qui proxima rura, suumque
  Natura urgeri deficiente latus.
Hospes es, & patriis absens à finibus, effer,
  Quam potes, ingenium gentis, & Urbis opes.
Singula laudato; si quid tamen eminet illic;
  Hoc memori excipiat parva tabella notâ.
Vestigare tamen, si quæ magis abdita, noli;
  Submissum furtim ne quis ab hoste putet.
Quid geniumque loci, Patriæ quid commoda stultus
  Effers, dum peragras extera regna, tuæ?
Uritur auditor; tum quid nos laudibus hospes
  Obruit his? patriam deperit; ergo petat.
Jungite equos, pelagi consternite puppibus undas:
  Non levis est patriâ fructus abesse domo.

Au-

Aurea ſopito pellis rapienda dracone,
  Peliacæ fuerint præmia digna ratis.
Te fortis, fatique manet Prudentia victrix,
  O' magis Argoo vellere digna peti!
* Alvare tu teſtis [ſileat modò docta parumper,
  Pagina, cui toto plauditur orbe, Sophòs!]
Quas tu non gentes ſcrutatus, & extera regna?
  Qui tibi non mores, fœdera, jura patent?
Hinc nativa tuæ crevit ſolertia mentis:
  Altaque conſilii lampas, & uſus adeſt.
Luce procul Cynicus, rebuſque averſus agendis
  Deliteat; populi ſcurra, latrator iners.]
Doctus Ariſtippus magnis ſe regibus aptet:
  Publica procuret commoda, proſit, agat.
Præmia non captet; ſi præmia ceperit, uti
  Noverit, & meritum majus honore probet.
§ Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt:
  Hoc malè quam multis ceſſerit, aula docet.
Alvare, quid mirum, Latiis te faſcibus auctum
  In ſua ſi dudum frena coegit honor?
Hic quoque Cæſareo delatus nomine crevit:
  Et Majeſtatem res data dantis habet.
At tu quo properas pennis majoribus uſe?
  Si ſapis, ignotus vive libelle domi.

* *Eminentiſſ. & Reverendiſs S. R. E. Card. Alvarus Cienfuegos S. J. editis præſertim de ineffabili SS. Trinitatis Myſterio libris Script. r præclariſſimus.*

§ *Horat.*

DE VITA URBANA

LIBER TERTIUS.

URbanos jam tempus adest componere cœtus:
 Verbaque per certas conferuisse vices.
Non locus hic tetricis: fuge Rustice, quique severi
 Grande supercilium fronte Catonis habes.
Ite procul scurræ viles, mimique protervi,
 Et cui plus justo lubrica lingua sapit.
Omnibus o rebus præstantior una voluptas!
 O quæ non vitæ pœnituisse facis!
Exilium tu sola levas dulcissima nostrum:
 Nec pateris tristes carceris esse moras.
Præ te mella minùs sapiunt Hyblæa palato,
 Quique sitim recreat limpidus humor aquæ.
Præ te camporum necnon viridissima sordet
 Scena, vel artifici facta tabella manu.
Parva loquor: me finge rotam conscendere Solis,
 Finge per incurvas ætheris ire vias;
Hic mihi divitias quantumvis aggere magnas,
 Delicias plenâ, quàm libet, adde manu;
Si tamen alloquio caream, mihi nulla voluptas
 Suppetet; atque inter tot bona pauper ero.
Deme voluptatem miseris mortalibus unam hanc,
 Nullus, qui vitam sponte subibit, erit.
Vel fera, vel Deus est, quem non commercia vitæ
 Mutua delectant; non Deus; ergo fera est.
Quin Deus arcanis nostras illabitur aures
 Vocibus; æternum verbaque pondus habent.

Quo-

Quoque minùs dubites, circumſpice quâ patet orbem,
  An non ille Dei grande loquentis opus ?
Adde quod ante Chaos ſolus non ille, ſed unus :
  Atque aliquis, cum quo colloqueretur, erat.
Sed quid ego majora meis nunc viribus auſim ?
  An gracilis tantum muſa ſonabit opus ?
Me Caſa jamque ſuos iterum compellat in hortos :
  Unde legam capiti laurea ſerta meo.
Principio placuiſſe velis, placuiſſe labora :
  Hæc ſit colloquii meta, caputque tui.
Unde tamen placeas (ars eſt nam certa placendi)
  Quiſquis es, hic paucis noſtra Thalia docet.
Quem non obſequium, quem non reverentia vincat ?
  Hæc tibi ſunt geminâ tela tenenda manu.
Venerit alloquii causâ novus hoſpes in ædes,
  Obvius huic patulâ fronte decenter eas.
Hic præeat, tu ponè ſequens ſtipabis euntem ;
  Tu famuli partes, ille jubentis agat.
Principis hunc ſellæ dignabere pronus honore :
  Teque brevi teneat ſellula curta ſinu.
Sunt quoque ſolemnes, quos noveris ordine, ritus,
  Verbaque dimidios nata referre ſonos.
Pes quoque verrat humum flexâ cervice frequenter,
  Si cupis officio pondus ineſſe tuo.
Si nihil occurret ; valeat, de more rogabis,
  Nec ne ; recens ecquid rumor in urbe ferat :
Ut nova ſe primis ſeges oſtentarit in herbis :
  Quas monſtret Pallas, quaſque Lyæus opes.
Si vetus hoſpes erit, longoque domeſticus uſu ;
  Eſt illi ut quædam proximiora roges ;
Ut valeant parvuſque nepos, & nubilis annis
  Filia, vel quid agant, turba pudica, nurus.

Si novus hoſpes erit, res quærere parce repoſtas;
Eſt quod te monitum terque quaterque velim.
Res eſt ſancta Domus, ſancti mihi crede Penates:
Lar ſacer, & totâ quidquid in æde ſacrum eſt.
Non tamen eſt cultus tibi par adhibendus in omnes;
Diſpar, pro merito diſpare, cultus erit.
Hic ætate præit; ſua ſit reverentia Canis:
Hic titulis; cultor Nobilitatis eris.
Et cole Palladiæ præeuntes arte palæſtræ,
Et cole, queis doctum pectus Apollo rigat.
Præcipuo ſacris operantes excipe cultu,
Quoſque procul turbâ Clauſtra verenda tenent.
His aſſurge prior, præverte ſalutis honorem:
Eſt aliquid magno poſſe litare Deo.
Sed tamen his meritum facile eſt impendere cultum;
Excipe ad hæc juſto comis honore pares.
Proditur in minimis tamen hic; venientibus offer,
Si ſit nulla ſuper ſella parata, tuam.
Innue, ſi tunicæ pulvis turpaverit oras,
Vel te clam pulvis decutiente cadat.
Exciderit digitis argentea theca remiſſis,
Curvus ab immundâ protinus effer humo.
Perge age; quem primis reverentia vicerit armis,
Arctius obſequio demereare tuo.
Sed priùs explora, num Palladis arma ſecutus,
An magis Aſtrææ militet ille foro.
Carmina ſi pangit, vatem gratabere muſis:
Dignaque Mæonio dixeris ore loqui.
Si ſolitâ fertur vagus ambitione per urbem,
Area, dic, meritis ſternitur ampla tuis.
Si procul urbe ſuo vivit contentus in ære:
Frugiferum vitæ dixeris eſſe genus.

Læ-

Lætus erit; lætâ dederis te fronte videndum:
 Si lepidus; comptos tu quoque ſparge ſales.
Hei mihi! virtutis via quam penè invia, utrinque
 Scinditur in præceps, antraque cæca patent.
Inter monſtra diem Phœbus vehit; æquore ſectò
 Lampada non lævus, dexteriorve regit.
Scyllaque Trinacrias ex æquo adeuntibus oras;
 Atque cavenda ſuis vaſta charybdis aquis.
Non ſecus & ſcopulis urbana latentibus anceps
 Eſt via; directum carpe viator iter.
Vilis adulator blandiſſima verba ſub aures
 Garrit, &, ut placeat, nil ſibi turpe putat.
Riſeris, arridet: ſi frontem obduxeris, ecce
 Mœret, & ex animo ſigna dolentis habet.
Quidquid damnaris, quamvis ſit jure probandum;
 Protinus ad ſtygios deprimit ille lacus.
Quidquid laudaris, quamvis ſit jure notandum,
 Protinus in cœlum laudibus ille vehit.
Me duce, certa tibi fac ſit menſura placendi,
 Urbani quiſquis nomen honoris amas.
Scilicet ut placeam vilis nugator in urbe,
 Turpiter ipſe mihi degener eſſe velim?
Non honor ante oculos, non lex ſit ſancta decori?
 Et tua tranſiliam jura verenda, Pudor?
Non tot humus vario ſubmittit germine flores;
 Non tot alit pictas Sicelis Hybla roſas,
Litora non conchis tot verſicoloribus albent;
 Quàm ſtudiis homines diſſita turba ſumus.
Hunc rapit attonitum ventriſque gulæque voluptas:
 Ille inhiat ſolas turpis avarus opes.
Sunt quibus una animo eſt oculorum operoſa libido:
 Hunc capiunt modulis vaſta theatra ſuis.

Aſt

Aſt ubi colloquii tempus, placet una voluptas,
Et lepor, & cauſas quidquid amoris habet.
Ergo nihil facies, ſibi quo videatur amari
Quis minùs, in pretio nec ſatis eſſe tibi.
Sed tamen interdum malè prodimur: occule flammam,
Protinus occulto flamma nitore micat.
Quis tuſſim, dum quaſſat agens pulmonis aquoſi
Vincula, contineat? ſubſilit illa magis.
Occule ſic genium, genio nudaris ab ipſo.
Ad latus heu ſemper proditor ille ſedet!
Quid cum verba ſeris lentus ſubfrigida; quid cùm
Dimidium profert, vix benè, lingua Vale.
Verbaque præcidis, ſi fortè ſupervenit alter;
Aut tuſſim ſimulas, aut pede ſcalpis humum.
Proferat ille ſales; vix gutture plaudis amaro;
Nuncia depromat; nuncia falſa doces.
Ad quæſita nihil reſpondes; avolat illinc
Mens tibi; ſtas ipſo durior Harpocrate.
Ecce mihi quidam fore ſe jurabat amicum,
Plus quam Theſeâ tempus in omne fide.
Oſcitat hæc inter; falſi mihi pectoris index,
Quis putet? oſcedo protinus illa fuit.
Scilicet invitâ te mecum mente morari,
Ut mihi verba negent, ore patente doces.
Turpior eſt ſomnus: cave ſomnum, ubi mutua jungit
Verba per alternas denſa corona vices.
Sæpe tamen vidi, pulvillo ex tempore facto,
Hic aliquem fronti ſuppoſuiſſe manum.
Jam tuba, jam rhonchus, jam fortior exit ab ore
Spiritus: en ſomno lumina victa jacent.
Horrida quæ ſpecies! femoralibus undique laxis
Cum pateat, quidquid moſque, pudorque tegunt.
Hor-

Horrida quæ ſpecies ! ſpumantibus undique labris
Cum fluit in madidas ſpiſſa ſaliva genas.
Quid, qui, dum loquitur, ſua terga loquentibus offert,
Vaſtus & accubitu liberiore jacet.
Quid, qui ſæpe vagus nunc hos, nunc ſevocat illos,
Ut tacitis quiddam ponat in aure ſonis.
Sæpe latus ſocii cubito ferit alter adacto,
Vel ſuper alterius terga recumbit iners.
Crimina parva quidem, nec pondus habentia magnum,
Parva ſed ut fuerint crimina, fœda tamen.
Mole carent fateor; numero ſed vindice pugnant:
Non eſt quod timeas grandia, plura cave.
Quo, niſi collectis mare guttis conſtat aquarum?
Quo, niſi congeſto pulvere conſtat humus?
In minimis labor eſt; minimas evadere noxas
Hoc opus; hic noſtræ vertitur artis honos.
Quid mihi vobiſcum, Parnaſſia turba, ſorores,
Numina cultori ſemper iniqua ſuo?
Cur non magna cano; jubeorque ex omnibus unus
Rebus in exiguis detinuiſſe lyram?
Et mihi ſunt vires, & pectus Apolline dignum,
Cultaque per numeros prima juventa ſuos.
Non satiùs magni me Cæſaris arma canentem,
Ire per Odryſiæ funera gentis erat?
Non satiùs Libyco perfuſam ſanguine Septam
Dicere, vel palmas, fortis Ibere, tuas?
Quam mihi materiem tanto ſub Principe Roma,
Quam ſegetem Princeps tantus in Urbe dabat!
Num deerant latiæ monumenta tot inclyta famæ,
Cogitur unde novæ cedere fama vetus?
At nunc colloquium (pretiũ quod grande Camœnę eſt)
Ad numeros ſupereſt poſſe vocare meos.

Sit

Sit caput erectum, sit celsa figura loquentis;
 Gesticulis, moneo, parcat inepta manus,
Carminis hoc nostri caput est; hæc Phœbe canenda,
 Das mihi magnificâ grandia bella tubâ.
Esto: contigerit mihi non modus amplus agelli:
 Cur etiam sterilis semper arandus ager?
Finge per Astrææ fora me clamosa vagari,
 Vendentem attonitis tristia jura reis;
Finge tuas artes, atque altera regna secutum
 Paucula Pergamei dogmata nosse senis;
Quam me ventoso per gentes syrmate ferrem!
 Quam foret aggesto sordidus ære sinus!
At nunc tantorum merces quæ parta laborum;
 Dum tua signa sequor, Cynthie? dicor iners.
Atque aliquis; quæ verba magis subtristia pungunt;
 Quid nostros Vates obsidet iste lares?
Ergo lyræ valeant, valeat decoctor Apollo:
 Vela legam; turpe est desipuisse viro.
Plura locuturum; nam me meus ardor agebat;
 Injectâ tenuit torvus Apollo manu.
Mox ait: hæcne mihi, vates ingrate, rependis?
 Hæc est pro meritis parta querela meis?
Scilicet obtigerit quod, cùm satis oris haberes,
 Materies musis non satis ampla, doles.
An tu parva vocas, quorum sine munere vita
 Orba suis numeris, & rudis usque foret?
Anne ego subjectâ sine fruge volantia ferrem
 Verba, locuturis jura nec ulla darem?
Scilicet ut ferrem, cùm quis crocitantis aheni
 Instar ab insulso promeret ore sonos?
Qui non mente priùs narranda revolvat, inertem
 Quidquid & in buccam se dedit, ore vomat?

Qui

Qui ſileat dicenda, ſilendaque pluribus ornet
  Mucidus, & ſociis tædia longa creet?
Hæc tu parva vocas? magnis agitanda Poetis
  Sed tamen; in parvis gloria major ineſt.
Saxa quid Amphion dictus traxiſſe canendo,
  Fluminaque ad Geticæ plectra ſtetiſſe lyræ?
Nempe rudes homines civilis ſemina vitæ
  Quòd primi numeris edocuere ſuis.
Hæc tibi, quæ magnos exercuit area vates,
  Hæc datur: hanc audes jure vocare brevem?
Hactenus ut Vates; quid, cùm ſublimis Olympo
  Exſpatior fulvis, luminis auctor, equis?
Non ità ſuſpicio, teſtor te Juppiter, ignes
  Sive tuos, Helice, ſive, Corona, tuos;
Non Martis, Veneriſque jubar ſic detinet, aut qui
  Mane pruinoſo Lucifer axe præit;
Quam, quæ parva viam lactis candore micantem
  Sidera multiplici texta nitore notant.
Hìc ego defigor curru mirante parumper:
  Hæc beat, hæc noſtrum ſola moratur iter.
Nempe placet textura frequens, candorque nivalis,
  Quique ſub exiguis ignibus ordo latet.
Quid tu, ſola putas mihi carmina magna probari,
  Dictaque grandiloquâ bella cruenta tubâ?
Quin magis admiror tenui quæ condita filo,
  Si modò quid ſolidæ carmina frugis habent.
Hæc placet, hæc magnos extollit ad æthera vates;
  Hanc ventura probant ſæcula, lector amat.
Prima tuæ, Vates, pars eſt purgata querelæ;
  Altera nunc paucis expedienda manet.
Quod ſcelus admiſi, vitium quod temporis hujus,
  Si res Aoniis friget iniqua choris?

Au-

Auguror ipse tamen, nunquam mentitur Apollo,
Parta mihi in castris laus erit ampla tuis.
Nec mihi de nostris repetenda oracula Delphis,
Ipse domi fortes unde petantur, habes.
* Militiæ Dux ille tuæ, quo Præside freta
Inclyta Loyolidum floret ubique cohors;
Ille per omnigenæ traductus castra Minervæ,
Quo pretio quævis ars sit habenda tenet.
Et licet immensa rerum sub mole fatiscat,
Non tamen aversa carmina fronte legit.
Sed legisse parum est, animos scribentibus addit;
Nec sterilis tanto Teste probante labor.
Longiùs ille videt, quique omnes advocat artes,
Ordine & has certo sub sua signa refert,
Intima quique sacræ dat Castra tuenda Minervæ,
Me vult militiæ fronte sedere suæ.
Tu modò summa tuis fastigia pone libellis;
Ne dubita, tanto Vindice tutus eris.
Hæc ubi; conticuit: mox laurea vertice grana
Decussit, labris applicuitque meis.
Numen inesse novum sensi mihi; cura recessit
Omnis; ad inceptum Musa recurrat iter.
Libera gens Homines, summo deductaque Cœlo,
Turbaque Cœlicolis proxima penè sumus.
Jusque datum generi primævà ab origine nostro
In pecudes, in aves, vastaque monstra maris,
Non benè limitibus naturæ adstringitur ipsis,
Nescio quid terrâ majus & axe capit.
Libertas dominumque facit, regemque potentem
Quemlibet; hinc nobis spiritus ille venit.
Quo

* *Michael Angelus Tamburini Societatis Jesu Præpositus Generalis.*

Quo magis, arbitrii ne lædite jura ſuperbi:
  Vel Leo, cum dormit, quod timeatur, habet.
Multa videnda tibi, quæ non fortaſſe probantur,
  Tranſige, teque oculos non habuiſſe puta.
Audieris, quod fortè tuas non mulceat aures:
  Auribus ad tempus finge carere tuis.
Et mihi naſus ineſt, nec ſum ſine pectore venter:
  Dum volo, ſum venter; dum volo, naſus abeſt.
Scilicet olfactu quid ſingula carpis amaro?
  Virgulaque in manibus ſemper acerba ſonat?
Quis, quanquam valeatque minùs, decumbat & æger,
  Ante torum medicum ſemper adeſſe velit?
Corrige diſcipulos caperatâ fronte Magiſter,
  Imperium ferulæ ſi tibi grande ſonat.
His tamen abſtineas, ubi Cœtus amicus in unum
  Venerit; hic liber, Rex, Herus eſſe volo.
Fortè ſolœciſmus pinguiſſimus excidit ore,
  Tranſeat immunis; ſyllaba vara, tace.
Non benè crura ſedent, ſellâque vagantur ineptè;
  Fac ſedeant laxè, fac vaga crura fluant.
Dulcia demulcent, vellunt ſubamara palatum:
  Verba fugant homines triſtia, blanda ligant.
Ruſticus hic tempus, dictamque fefellerit horam;
  Hunc ſua defecit non ſemel ante fides;
Dixeris oblitos potiùs, quam nomine ruptæ
  Hos fidei appelles, fœdifragoſque voces.
Mendacem dici quem non pudet? ordine verſo
  Quàm paucos, dici quod pudet, eſſe pudet!
Ipſe tuâ teneas quamvis mendacia dextrâ,
  Nemo tuo mendax audiat ore tamen.
Tunc quoque cum verbis quiſquam carpendus amaris,
  Elige quæ dulci ſunt magis apta ſono.

Vidi

Vidi ego, qui monitis laudes præmitteret amplas;
  Triſtibus & verbis molle præiret iter.
Sic auſtera ſolent miteſcere melle falerna,
  Sic leviùs pungit proxima ſpina roſæ.
Præcipe quin culpæ partem; communis utrique
  Noxa ſit; hinc monitis omnis amaror abeſt.
Bardus hic, & ſtipes non ſat percepta loquentis
  Verba tenet; dulci verba retexe ſono.
Neve redargueris, non ſat tua dicta teneri:
  Dic, non perſpicuè fortè locutus ego.
Alter hic erravit: durum eſt, ſi dixeris, erras;
  Nos, meliùs dices, quis malus error habet?
Quò non fraus penetrat? blandis prætexere verbis
  Quis non conſueto crimina more ſolet?
Aſper ab ingenio, rigidi ſervator honeſti
  Audit, & hoc ſeſe nomine laudis amat.
Qui placitiſque ſuis, dictiſque immobilis hæret,
  Conſtantis tacito devorat ore decus.
Liber amat dici, nulloque ſub ære teneri,
  Qui promptum ut feriat ſemper acumen habet.
Hæc ubi contigerint, ars morbo vincitur; urnâ
  Pergameuſque ſtupet deficiente Senex.
Quî morbum excutias, ſi te non noveris ægrum;
  Forſitan & morbo des bona verba tuo?
Corporis ut labes abſtergas, optimus index
  Eſt ſpeculum; ſpeculi forma probanda fide.
Ut labes animi certo ſub vindice tollas,
  Quis niſi in hos uſus aptus amicus erit?
Ille vicem ſpeculi tibi præbeat, ille monendo
  Adſit; ab hoc vitæ norma petenda tuæ.
Excute te, latebraſque animi percurre latentes;
  Si quid & à noſtrâ deficis arte, vide.

Di-

Dixeris & caufam poftquam te judice, pœnas
Solve; per hæc fenfim profice, cultus eris.
Eft modus ulterior, fi quis quibus eminet alter
Dotibus, in mores transferat arte fuos.
Exemplum tibi Spinus erit, de paupere trunco
Arbor, & innumeris fœtibus aucta parens.
Plantarum Pomona olim genus omne vocarat,
Ut regem eligerent per rata vota fuum.
Venit Palma, ducum claris fpectanda trophæis,
Altaque regali fyrmate verrit humum.
Subfequitur Palmam Ficus: vix ftipite pingui
Se tenet; in tantas luxuriatur opes.
Ponè Pyrus graditur ramos curvata virentes;
Proxima Nux, piceo tincta colore genas.
Palladis innumeris fe fœtibus induit arbos;
Et fpecies illi Pallade digna fuit.
Nixa corymbifero venit quoque palmite Vitis;
Ni fe contraheret, non habitura locum.
Denique de populo non defuit ulla virenti,
Seu procera arbor, five pufilla foret.
Vidit ut umbrifero completa fedilia cœtu;
Pomiferæ Præfes fic Dea gentis ait.
Non levis, excierim cur vos, me caufa coegit,
Fructiferæ Stirpes, Arboreumque Genus.
Qui dirimat lites, qui fine coerceat æquo
Singula, Rex vobis ritè legendus erit.
Magnum onus incumbit vobis: fed difcite quæ fint
Regia me paucis jura docente priùs.
Non eft res fimplex Regis natura, nec una:
Multiplici hoc tantum munere conftat opus.
Eft oneri conjunctus honos, funt proxima curis
Gaudia, & alterno mifta labore quies.

Conſulat in commune bonum, ſua negligat, olli
Sit merces tanti ſola laboris Amor.
Denique qui dulcis, qui fortis & imperet, ille
Regalis punctum muneris omne feret.
Hæc ſub dicta; frequens cava per ſubſellia murmur
Audiri, atque ingens ire per ora fremor.
Scinditur arboreus ſtudia in diverſa Senatus;
Et nulli viſum non grave Regis onus.
Scilicet ut tanto maciem ſub pondere ducam
Pinguis ego? haud patiar, Palladis arbor ait.
Cui Ficus; dulcem diſturbatura quietem
Regia ſceptra, ſibi qui velit, ille ferat.
Non erit ut regnem, tacito tum murmure Vitis
Muſſitat; & pluris ſunt mea vina mihi.
Omnibus hæc potior viſa eſt ſententia; regnum
Quæ vellet, tanto ex agmine nulla fuit.
Temporis hoc puncto mediis ſe cœtibus infert
Spinus, odoratis conſpicienda comis.
Quam ſibi tum diſpar! nulli priùs utilis arbor;
At nunc multiplici germine læta viret.
Ipſa novæ formæ ſentire videtur honorem;
Et majeſtatem temperat arte ſuam.
Cui breviter, cunctis Pomona ſilentibus, inquit;
Spine quid hic cultus, quid nova forma petit?
Non tu nuper eras truncus ſine nomine? tantum
Unde tibi licuit conciliare decus?
Cui Spinus contrà placido ſic ore locuta eſt,
Et ſpecies pariter grata loquentis erat.
Juſſa ego in hos dudum per te, Dea, pergere cœtus,
Cœpi ſollicitâ talia mente loqui.
Frondis honore carens, ſterilis ſine fructibus Arbos,
Pomiferæ audebis tecta ſubire Deæ?

Eru-

Erubui, fateor, quod te non digna viderer,
Parsque forem tanti despicienda chori.
Sumpsi animum tamen hinc; pudor argumenta pudoris
Sustulit; in lucris erubuisse fuit.
Protinus Anatomes nota ad penetralia pergo,
Illam compositis flectere certa sonis.
Dic, Dea, quæ labes venis se immiscuit imis?
Cur ego destituor fructibus una meis?
Pomifer an succus nimio tardante veterno
Hæret, & obstructum glutine sentit iter?
An malè ventriculis digestus hiantibus humor
Spargitur, & succi fraudor alentis ope?
Mitiùs hæc ferrem, solos despecta per agros
Vivere si possem, vix benè nota mihi:
Nam licet infelix essem, sine testibus essem;
Tuque meis damnis detraherere pudor.
Non tamen hoc licuit per iniquæ munera sortis;
Heu sors in casus ingeniosa meos!
Electura novum rata per suffragia Regem
Pomiferæ imperiis evocor ecce Deæ.
Displicui vel sola mihi; collata placebo?
Crescit ab alterius fertilitate pudor.
Nam quæ frondis inops, nec læta est fructibus arbos,
Quid nisi sit rabidis præda pudenda rogis?
Adde quod, & nostras dudum pervenit ad aures,
Vitam hominum ut miris fulseris ipsa modis.
Per te deprensum quo se rotet ordine sanguis,
Sanguis inexplicitum currere suetus iter.
Artis opus Medicina vagum, te Præside, leges
Accepit certas; impetus antè fuit.
Fac genus arboreum simili tibi munere vinctum:
Adjice & imperiis altera regna tuis.

Gratia nec ſterilis: fructus, me dante, novellos
 Obſequii carpes pignora certa mei.
Mota Dea eſt, zonâque ſinus præcincta viriles
 Expedit haud ſegnes ad nova cœpta manus.
Corporis at motu ne dura exorſa morarer,
 Nexibus haud unis brachia noſtra ligat.
Mentis inops cultros, ignotaque tela notabam;
 In me carnifices jamque verebar acus.
Vix non pœnituit, votorum ſumma meorum
 Eſſet tam ſubitâ quod mihi parta viâ.
Illa ubi me trepidam ſenſit, quid inaniter, inquit;
 Te crucias? dolor hic cauſa ſalutis erit.
Eſt dolor iſte brevis, ſed quæ mox certa ſequetur;
 Haud dubita, nunquam eſt interitura, ſalus.
Poſt longi quæcumque venit diſpendia morbi,
 Plus ſolito reficit languida membra ſalus.
Commendant nubes, tempeſtateſque ſerenum
 Et Bona plus ſapiunt proximitate Mali.
Hæc inter noſtros de more perunxerat artus,
 Ut fieret tali mitior arte dolor.
Hinc novus irrepſit torpor per membra, ſoporis
 Res ſimilis quædam, non ſopor ille fuit.
Non adverti equidem, tam diſſimulanter ab illâ
 Mille fuit ſubitò cuſpis adacta locis.
Ter conata fui ruptis evadere vinclis;
 Ter ſenſi ad niſus robur inane meos.
Sed tamen exilui, putri de corpore ſanguis
 Cum mihi multiplici viſus abire viâ.
Undique tabifero ſtillabant ſanguine membra:
 Undique quæ flueret marcida peſtis erat.
Exilit haud aliter, longo relevata veterno,
 Cum videt æſtivis rura colonus aquis.

Sed

Sed magis exilui, cum fota potentibus herbis,
Per cava sensi animam serpere membra novam.
Senserat Anatome successus læta secundos;
Navis & in portu jam tua, dixit, adest.
Ilicet ex omni certas legit arbore frondes,
Vulneraque his aptè sanguinolenta fovet.
Mira quidem, sed vera cano; nova munera Divûm,
Accipe, Posteritas, quâ decet usque fide.
Vulneraque obduci, flores, peregrinaque nasci
Poma, perexigui temporis hora fuit.
Protinus exolvor vinclis, sed vincula, dixi,
Pectoris exolvat qui mea, nullus erit.
Gratibus Anatomæ posthâc de more peractis,
Huc celeres gressus obsequiosa tuli.
Qualiscumque tamen, vestris me fœtibus auctam
Nunquam erit, ut præ me non ego grata feram.
Vix ea, conticuit; stupor ilicet occupat omnes,
Visaque luminibus non sat habenda fides.
Ficus prima, novâ decerpsit ab arbore ficus,
Ficubus & dixit dulcior ista meis.
Vitis & accessit prætentatura racemos,
Plusque meis botris hæc, ait, uva sapit.
Quælibet accedit, fructusque examinat arbos,
Et fructus jurat quælibet esse suos.
Tum Pomona gravi perpendens singula curâ
Sceptra manu quatiens talia verba dedit.
Et quid adhuc dubias teneat sententia mentes?
Spinus, quæ regnum jure capessat, erit.
Quam benè dulcedo, roburque coivit in unum,
Utraque dos uni quam benè Regis inest.
Quid quod cùm vestris norit se fructibus auctam,
Imperii consors quælibet arbor erit?

Vos modò propositi si Regis forma probatur;
  Eja agite, elatá prodite signa manu.
Vix ea; confusis fremuit cum vocibus æther,
  Unaque vox populi publica, regnet, erat.
Regnet, io, Spinus, regno dignissima Spinus;
  Illa regat nostrum tempus in omne genus.
Ut decet, ad Regem se contulit ilicet omnis
  Arbor, & obsequii signa dedere sui.
Hæc lusisse satis; commenta facessite vatum;
  Tuque fave monitis, Lector amice, meis.
Truncus iners, fructuque carens sis quamlibet omni,
  In promptu, fructus unde parentur, habes.
Fac tua sint, quęcumque vides bona; quidquid honestum
  Insere, teque novâ transitione juvet.
Scilicet hic partes se vertere natus in omnes,
  Comis, & ingenio commodus alter erit.
Tu quoque, si facilis minùs est natura, sequaxque,
  Frena repugnanti contrahe, mollis erit.
Semina dissidii præcidere noverit alter;
  Tu quoque lite pedem vix oriente refer.
Quemlibet alter adit, nulli peregrinus, & hospes;
  Tu pariter cunctos more sodalis adi.
Hic quoque salsus erit, lepidoque facetulus ore,
  Tu parili comptos sparge lepore sales.
Ferreus ille quidem, qui risum exterminat omnem;
  Tristitia ingenio diffidet ista meo.
Nempe catenatos vitæ quis ferre labores
  Possit, & implicitæ tædia longa viæ;
Dulcibus interdum quin mulceat ora cachinnis,
  Lætitiâque animum liberiore levet?
Seria non semper, non ludicra semper agenda:
  Alternas norunt illa, vel illa vices.

Non

Non semper renovatur humus, nec vomeris unci
Pondere taurorum colla gravata gemunt.
Quæ priùs æquoreos sulcavit remige fluctus,
Ilicet in portu fessa carina jacet.
Fontibus ergo suis comptos deducere risus
Juverit, & cultos explicuisse sales.
Nascitur ex turpi, (res est notissima), risus,
Undè tamen justi causa doloris abest.
Hinc quia turpe suus decepto ducitur error,
Materiem risus, qui latet error, habet.
Dulcibus hinc pascit socios aliena cachinnis
Credulitas; vitium, curva Senecta, tuum.
Hinc quoque delectant, qui fagina signa moventes
Imponunt mirâ dexteritate manus.
Adde imitatores; tenui discrimine Veri
Ludimur; illusis error & ipse placet.
Est quidam, Eutrapelum dixerunt: dexter in omnes
Vertere se formas natus, ubique decens.
Pipilat ut passer, trutilat ceu turdus, Acanthis
Nunc quod dulce canit, dulciter ille canit.
Si tractim Philomela gemit, tractim ille susurrat;
Circinat illa melos, circinat ipse melos.
Vertitur extemplo; latratorisque Molossi
Colla, truces rictus, & rabida ora capit.
Nunc & rixantem fingit cum fele catellam:
Audieris: verum captus utrunque putes.
Plaudit inexpletis circunflua turba cachinnis;
Et quod desierit, signa dolentis habet.
Sæpe movet dulces contracta facetia risus,
Hosque magis, si sit tempore jacta, movet.
Tempestiva placent; nimiùm meditata, videntur
Ingenii lentè progredientis opus.

Qualiter æſtivo ſe fulgura tempore rumpunt ;
Crinitoque micat ſidere lucis apex ;
Præpete ſic fertur contorta facetia motu ,
Ignea cum volucris ſemina mentis habet .
Hoc campo abſtineas , ſi fortè morantis inertes
Ingenii vires ſenſeris eſſe tui .
Hoc erit indicio , quod non ſis talibus aptus ,
Cum tua conſueto dicta favore carent .
Namque ubi quid ſalſum fibras penetravit ad imas ,
Protinus è liquido gutture riſus hiat .
Luditur ambiguis verbis benè ; ſcilicet unum ,
Cum voces , aliud mens tua fortè notat .
Aut cum germano detorta vocabula ſenſu ,
Affines capiunt te variante ſonos .
Non expectati vel dexter acumine dicti
Cum quem fortè petis , plaudit amica cohors .
Vel cum verba Feris ratione carentibus aptas ,
Et monitus prudens elicis inde graves .
Intermiſta ciet non nunquam fabula riſus ,
Quæ magis , urbano ſi ſale ſparſa , placet .
In rem quique ſuos profert ex tempore verſus ,
Carmina quique aptè fert aliunde , ſapit .
Quid tibi nunc gryphos , ſphynges , proverbia dicam?
Additaque ingenio nomina ficta tuo ?
Vel cum conjectos declinas callidus ictus ;
Et leviter pungis , qui pupugere priùs ?
Vel cum ſtultitiæ ſub imagine luſus , amicos
Ludis , remque tuam diſſimulanter agis ?
Hæc ſciat Urbanus , tum tempore cuncta miniſtret ;
Quæque decent , vigili ſingula mente notet .
Non decet in miſeros ſalibus nos ludere , vel quos
Viliter obſtrictos crimina magna premunt .

Quod

Quod leviter turpe eſt, juſtam ridentibus affert
 Materiem; graviter turpia flere decet.
Denique ubi cultis locus eſt non riſibus aptus;
 Effutire tuos parce, Jocoſe, ſales.
Nec minùs, eximiè quos diligis ipſe, facetis
 Ut ſalibus carpas, jura, moduſque vetant.
Res Amor eſt fragilis, minimoque extinguitur ictu:
 Utque vitrum, incautas reſpuit ille manus.
Hei mihi de ſtipulà quàm magnus naſcitur ignis;
 Flamma ubi ſub paleis parva relicta fuit.
Sic memori quoties ſubamara facetia mente
 Sedit, inexhauſtis ignibus ira furit.
Mordet ovis, ſine dente tamen; canis arida morſum
 Imprimit; urbani ſint ſine dente ſales.
Parcendum ingenio, jugulanda facetia; probro
 Quæ venit alterius gloria, fœda venit.
Nempe laceſſitus tibi clàm ſuccenſet amicus;
 Hunc tu ſi non vis perdere, perde jocos.
Hactenus undè ſales, ſuccinctaque verba legantur;
 Nunc qui verba decor fuſa ſequatur, habe.
Ordine narrabis quidquid narrabis amicis:
 Ipſe fidem dictis lucidus ordo dabit.
Magna Venus brevitas; quamvis videare diſertus
 Ipſe tibi, quidquid dixeris, eſto brevis.
Quam potes in nucleum deſcende, putamine miſſo,
 Rem mihi narrandam, non tua verba putes.
Vox animi ſpeculum, ſunt verba vicaria mentis;
 Apta miniſterio delige verba ſuo.
Hinc procul, ò, longâ ſqualent quæ trita ſenectâ;
 Quidquid & intonſos antè decebat avos.
Utere nativis, proprioque valentibus uſu;
 Puriùs ex ipſo fonte petita fluunt.

Fren-

Frendet aper, dices, rugit leo, sibilat anguis;
Balat ovis, taurus mugit, adhinnit equus.
Gallica nam quid Iber, cui non benè cognita, Gallus
Verbaque magnificis inflat Ibera sonis?
Belga quid, extremis positusque Britannus in oris
Affectat veneres, Arne jocose, tuas?
Unusquisque suo loquitor sermone: loquentem
Sic docili cœtus pronius aure bibet.
Garrule quid blateras semper? quem mittis ab ore,
Nil nisi quòd vivis, spiritus ille docet.
Qualiter & primus, cessantibus undique remis,
Impetus in portum nautica vela refert;
Sic tu non cessas prurigine raptus anhelâ,
Materie quamvis deficiente, loqui.
Dicta iterum relegis; finem fecisse putabam,
Incipis, extento gutture semper hias.
Dolia nil resonant generoso plena Lyæo;
Si qua mero careant dolia, tange, sonant.
Qui pollet plus mente, silet magis; ille loquelæ
Largior est, cordis qui minùs intus habet.
Hoc quoque: qui loquitur reliquis præstare videtur,
Vel præceptoris more, vel instar heri:
Ten' dominum me ferre diù tam vana loquentem?
Tu me qui doceas stulte magister eris?
Hæret hic interdum; nec commoda verba loquenti
Sunt præstò; non est subdere verba tuum.
Qui bene stat, proprioque valet mercator in ære
Hunc pudet æra sibi mutua sponte dari.
Quis non eloquii se circunspectet in arte?
Quis sibi, dum loquitur, verba deesse putet?
Ex improviso sua cui sit rupta voluptas,
Aspice quàm subitas excitet ira faces.

Si

Si quis, ubi lapidem jam projecturus in altum
  Sese interceptum viderit, ecce fremit.
Si quis, ubi patulo jam spiritus exit ab ore,
  Os subitò occlusum senserit, ecce furit.
Quò magis alterius faciles subscribite votis,
  O quibus urbano vivere more sedet.
Fabula nota tibi, quam quis narraverit, audi;
  Addita sit vero fimbria longa, sile.
Si prolixus erit recitator, tædia perfer;
  Quid salis adspersit, plaude favente manu.
Omnia tunc odi; si quis strepit, excreat, efflat;
  Aut animam rauco creber ab ore vibrat.
Non exaudito, cùm verba iterare necesse est;
  Quàm subitâ turget tunc mihi bile jecur.
Interpellatus, tacito sub pectore diris
  Devoveo insulsum ridiculumque caput.
Non ego ferre animam cujusquam, numina juro,
  Possum, triste oleat quamlibet illa nihil.
Hinc nimis applicità cave mecum fronte loquaris
  Quisquis es, & spatio differ ab ore brevi.
Te minùs audieram; repetas, quæ dixeris, oro:
  Cur mihi Stentoreâ voce reponis idem?
Sit quiddam medium: vox sit concinna, decensque;
  Hæc, ut te fugiant; hæc, ut amere, facit.
Odimus & tacitos; diuturna silentia vita:
  Parte tuâ taceas, parte loquare tuâ.
Colloquium genus est ludi: pila, si minùs ultrò
  Missa remissa volet, ludus inanis erit.
Colloquium ceu cœna sapit, cui symbola quisque
  Fert sua; collato plus placet ære cibus.
Quærite materiem vestris sermonibus aptam:
  Materies laudem lecta decenter habet.

Fri-

Frivola si fuerit, dum nugis fervidus instas,
Per mea clam somnus lumina repet iners.
Si nimium subtilis erit, dum magna, Cleanthas,
Nomina, & Arcesilas, Carneadasque sonas;
Basia saltanti circum mea crura catellæ
Tunc te magnificè magna loquente, dabo.
Sit quoque temporibus non dissona: tristia luctum
Tempora, lætitiam tempora læta probant.
Nulli præcipuè pariat malè cauta ruborem,
Quæ priùs eloquio lecta sit apta seges.
Mentio magniloqui tibi non facienda Thrasonis;
Miles ubi solitus credere terga fugæ.
Cui non forma placet sua, nimirum audiet ægrè,
Commoda Thersitæ quam minùs ora forent.
Consona personis quoque sit; non arma togato,
Rastra crepes nautis, militibusque libros.
Nec coram podagrâ capto, prolixiùs artem
Quâ queat ad numerum membra movere, refer.
O mihi si colaphos obscœna loquentibus, urbe
Ut mediâ incuterem, jura verenda darent;
Ipsos decuterem graveolenti è gutture dentes,
Ut flueret nervis lingua soluta suis.
Cœlicolas reverenter habe; nomenque Tonantis
Non nisi lingua tremens, non nisi parca sonet.
Nec sacra colloquiis intersere verba profanis;
Turpe est illotâ tangere Sacra manu.
Parce, quid immeritos audes incessere Manes,
Allidens dentes ad cava busta tuos?
Qui gladium, qui sceptra ferunt, clàm scindere dictis
Stultum est; pro verbis verbera sæpe feres.
Talibus edocti cœtus celebrate frequentes,
Per me, perque artis publica jura licet.

At cave, nocturnis comitem te cœtibus addas,
O cuicumque boni cura pudoris ineſt.
Undè lues priſcis ignota parentibus ortum
Duxit; an è ſtygio protulit amne caput?
Natus Amor Veneri fuerat, dictuſque Cupido
(Accipe; non longas res habet iſta moras.)
Cœtera pulcher erat, minùs hoc ſed pulcher in uno,
Quòd nimis exiguâ mole puſillus erat.
Ætas creſcebat, ſed vel creſcentibus annis
Non ullâ viſus creſcere parte puer.
Tum Venus, & quid, ait, matris mihi nomina proſunt?
Tantilli genitrix Pumilionis ero?
Anxia ſe Themidi ſiſtit, remque ordine pandit:
Fatidicæque Deæ ſedula poſcit opem.
Tum Themis, ò ſimplex Cytherea, Cupidinis, inquit,
Ingenium argueris non bene noſſe tui.
Ille poteſt naſci ſolus, non creſcere ſolus:
Si cupis, ut fiat grandior, ede parem.
Alter amet, redametque alter; nova pabula ſenſim
Concipiet, ſpecie captus amoris Amor.
Dicta fides ſequitur, puerum genuiſſe Dione
Dicitur, atque parem, ſæve Cupido, tibi.
Nec mora, conſpecto paulatim fratre caleſcit
Frater, & hinc vires ſumit uterque novas.
Nunc palpare manus, nunc arridere viciſſim;
Dona per alternas nunc dare certa vices.
Vincere vult alter, non ſe vult vincier alter:
Rixa fit: alternas nutrit at illa faces.
Hinc amor ingentes paulatim adoleſcere pennas,
Et formidatum creſcere ſenſit ebur.
Qui modò pumilio, jam vertice ſidera pulſat:
Aſpiceres; minor hoc mole Typhœus erat.

Hinc

Hinc vetus ingenium mansit; loca sola Cupido
Effugit, & turbâ nunc quoque gaudet Amor.
At nunc plaude tuis proles Cythereja regnis:
Plus tibi, quàm velles, tempora nostra favent.
Ecce puellarum, juvenumque sedilia fervent
Cœtibus, insidias nox tegit ecce tuas.
Non citharæ desunt, non enervantia mentem
Nablia fœmineâ pulsa, repulsa manu.
Res est blanda canor; ficti cantantur amantes;
Et specie falsi verus adhæret amor.
In primam protracta canam convivia lucem?
Territa queis visis sæpe resistit Eos.
Alea quid pernox, quid tempora quassa Lyæo,
Jussaque nox pavidæ lucis obire vices?
Cur Lalage templum, quæ matutina colebat,
Sera colit? totâ devia nocte fuit.
Cur minùs in vultu bona Delia conjugis hæret?
Visa quod in cœtu jam nova forma placet.
Cur minùs egregios soboles formatur in usus?
Cur? toto noctis tempore mater abest.
Hosne probem cœtus, per quos jam decolor ætas
Surgit, & exhausto vita pudore labat?
Dixeris; ergo domi, te præceptore, latendum;
Triste quid imponis, dure magister, onus?
O miser, & quoties numero subducere non est,
Infelix, sua cui sordet avita domus.
Scilicet hic lætus parili cum conjuge vivat,
Cui juga conjugii sorte ferenda pari.
Instruat ad laudem nunc, dulcia pignora, natos,
Quodque premi jubeat gloria, monstret iter.
Altera curâ subest, cellas ornare Lyæo,
Sintque lares nitidi, nec sit iniqua penus.

Rus

Rus eat; hic duros, ſua ruſtica regna, colonos
Evocet, &, quàm ſint jugera culta, probet.
O quàm dulce ſuâ decerpere ab arbore pomum!
O quàm dulce ſuis promere mella favis!
Cui ſemel hæc animo fuerit libata voluptas,
Turba procul, dicet; me juvat eſſe domi.
Quid tibi conventus, nocturnaque jurgia proſunt,
Cui matutino tecta cliente calent?
Nocte fores primâ, claviſque trabalibus obde,
Hoc Themis, hoc ſancti poſtulat urna fori.
Tu quoque cui faſces, ſellæque curulis honorem
Publicus impoſuit per rata vota favor,
Quid populos levet, aut quid nam commercia peccent
Publica, de media conſule nocte vigil.
Cum tua non oleant vigilata poemata lychnum,
Quid quereris nuſquam, ſtulte Poeta, legi?
Nox favet ingeniis, nox promovet alta Camœnas,
Corpora dulcis alit nocte ſilente quies.
At, quibus eſt animus dura ad medicamina mollis,
Carpite me facilem non renuente viam.
Qui, niſi ſola ſuis mordacia præcipit ægris
Pharmaca, vix medicos inter habendus erit.
Sunt fomenta; novum ſunt demulcentia vulnus
Plurima, queis tutò vulnus adire queas.
Quiſquis ubique, viri, parili conſortia cœtu
Jungite, cum paribus quiſque coite pares.
Clarus eques titulis, cur ſe fullonibus æquet?
Aut inhiet Procerum ſutor amicitias?
Divitis affectas ut quid commercia pauper?
Anne feros mitis diliget Agna Lupos?
Quos toga pulla tegit, ſacri velamen honoris,
Sint procul à cœtu, turba profana, tuo.

Cum

Cum famulis famuli coeant, cum milite miles:
Cum pueris pueri, cum senibusque senes.
Nec mihi displiceat, juvenum cingente coronâ,
Qui ferat in medium verba diserta senex.
Expers consilii Palinurum quære Juventus,
Qui tua per dubias vela gubernet aquas.
At mihi præ reliquis is cœtibus unus amatur,
Quem colit Aoniis dedita turba Sacris.
Tunc locus est salibus, tunc culta facetia risus
Elicit, & culto pectore culta fluunt.
Hæret adhuc memori dudum percepta voluptas
Hæc mihi, lethæis non abolenda vadis.
Hortus Aventini nemoralibus obsitus umbris
Surgit, Apollineis area grata choris.
Arcades huc, veneranda cohors, acceptaque Musis
Gens coit, æstivas sole tenente vias.
Fistula Mænalios hic plurima cantat amores,
Telaque de pharetrâ prompta, Cupido, tuâ.
At quibus insedit præcordia major Apollo,
Nonnisi formandis moribus apta canunt.
Hic me fortè sacras spatiantem nuper ad umbras
Cum sociis custos (*) Alphesibœus adit.
Protinùs accedo docti Venerator amici:
Est quod te paucis, incipit ille, velim.
Quando erit, Urbanæ leges ediscere vitæ
Ut valeat numeris culta juventa tuis?
Quando erit ut nostros inter tua fama Poetas
Digna sit à memori posteritate legi?
Quòd piger interdum, somnoque fruare benigno;
Nescio quis de te rumor in urbe sonat.

Ex-

(*) *Marius Crescimbeni Arcadiæ Custos Generalis.*

Excute te ; vigiles virtus amat, odit inertes :
Non niſi res animi multa moventis Honos.
Tunc ego ; pro meritis Dî tempora talibus addant ;
Quanta velis annis, Alpheſibœe, tuis.
Arguor in ſomnum paulò proclivior : eſto.
Somnus at hic, ſeſe quo tueatur, habet.
Non mea fruge carent vèl ſomnia ; nocte ſub ipſâ,
Vel, quod proſit, ago, corda movente Deo.
Judice te ſtarem, ſi ſomnia fortè liceret
Promere, ſed noſtrâ doctus ab arte vetor.
Alpheſibœus ad hæc : crimen purgabis abunde,
Si modò quid frugi ſtertere nocte ſoles.
Quid, ſi longa nimis ſint ſomnia ? Scilicet, illa
Ut narres, veniam, quam petis, ecce damus.
Area vicino ſuberat viridiſſima prato :
Hic nos gramineis excipit herba toris.
Adfuit ex æquo Muſis acceptus (1) Eraſtus,
Et ſine fraude bonæ cultor amicitiæ.
Adfuit (2) Eurindus, qui carminis arte magiſtrâ
Pollet, & Aſtreæ ſcita verenda docet.
Pone ſequens (3) Myreus erat, qui carmine Etruſco,
Carmine qui Latio, par ad utrumque, canit.
Proximus huic (4) Semirus adeſt, qui pectore largo
Bellerophonteas cominus haurit aquas.
Hunc (5) Acis ſequitur, ſibi quem Divina Matheſis,
Quem ſibi Caſtaliæ promeruere Deæ.
Hunc & (6) Ariſteus, cui mille in pectore linguæ,
Unus & omnigenam poſſidet Hiſtoriam,

G Cen-

(1) *Franciſcus Caveni*. (2) *Franciſcus Maria Gaſparri*. (3) *Michael Joſeph Morei*. (4) *Antonius Franciſcus de Felici*. (5) *Euſtachius Manfredi*. (6) *Antonius Maria Salvini*.

Centum aderant alii ; dicendi cum mihi Cuſtos
  Innuit elata tempus adeſſe manu .
Ordior ipſe : Sopor feſſos irrepſerat artus ;
  Altior ; & medium luna tenebat iter .
Tramite Flaminiæ conſiſtere fortè videbar ,
  Urbs ubi tergeminis ſcinditur ampla viis .
Ilicet attonitas ingens fragor impulit aures ,
  Et populi circum vox fuit una : venit .
Pompa venit ; Galateus adeſt , diſcedite , Lictor ,
  Semitaque hinc illinc juſta pateſcat , ait .
Ecce ferebatur curru Galateus eburno ,
  Candidus in niveis conſpiciendus equis .
Quæ , Superi , ſpecies ! quam digni Principe vultus ?
  Quanta verecundæ gratia frontis erat ?
Quam facilem præfert , majeſtatemque ſeveram !
  Qui decor ! atque Urbis quantus in ore color !
Vivat , Io , urbani Princeps Galateus honoris ;
  Vitæ ornamentum nobile , vivat Io .
Ruſticitas pereat , regnet Galateus in Orbe
  Semper ; in has voces plauſus ubique ſonat .
Undique deciduo conſpergitur imbre roſarum :
  Quà graditur , vario flore renidet humus .
Hæc ego dum cupidis obtutibus omnia luſtro ,
  Abripit hinc oculos altera pompa meos .
Ordine partito , brevibuſque armata ſariſſis
  Viſa inter lituos ire , tubaſque cohors .
Excipit hanc equitum ſeries longiſſima , in illis
  Flos Latiæ Princeps Nobilitatis erat .
Vertitur altus equo media inter millia Prætor , *
  Cui dominum ſtipant agmina denſa latus .

Ob-

(*) *Alexander Falconerius Præfectus Urbanus vigilantiſſimus , idemque , dum hæc ab Authore typis ederentur , ad Romanam Purpuram effuſi totius Urbis ſtudiis evocatus a BENEDICTO XIII. P. O. M.*

Obvius hic ſeſe Galateo inſignis agebat ;
  Hoſpitis ut tanti poſcere viſus honos .
Ergo ubi convenere ſimul , per publica primùm
  Signa , animi produnt pignora certa ſui .
Mox etiam officiis viſi interioribus uti ,
  Uſus ut alterni longus amoris erat .
Nunc palpare manus , nunc arridere viciſſim ,
  Et quiddam arcano preſſiùs ore loqui .
Magnus ad hæc hoſpes , præconia Præſulis addit ,
  Proſequiturque gravi talia voce palàm :
Quas tibi , quas referam , Præſul digniſſime , grates ?
  Promeritis minor eſt gratia noſtra tuis .
Quantus juſtitia , quam nec timor obruit ullus ,
  Gratia nec blandis flectit amica modis ;
Quantus avis , ataviſque potens , & ſanguine vero ,
  Curvaque quam contra ſecula rectus eas ;
Hæc alii dicant ; quin Urbs hæc prædicat ipſa :
  Quæ mihi contuleris , me tua dona movent .
Novimus , Urbani quæ ſit tibi cura decoris ,
  Pro regno vigiles quantus & ipſe meo .
Per te Romuleæ frænata licentia ſcenæ ;
  Pulpitaque ad leges plaudere juſſa meas .
Per te læta magis docilis ſtupet Orgia Bacchus
  Ire verecundo per fora tuta gradu .
Denique inurbani ſub te petulantia regni
  Aut ruit , aut , certè jam ruitura , labat .
Non tamen hoc miror , laudo magis ; Urbis habenas
  Sic regis , ut Patriam noveris eſſe tuam .
* Pulſibus hæc inter majoribus icta ſonabat
  Præſes Palladii Nola ſuperba fori .

(*) *Collegii Romani Princeps Nola , quæ bis in die ad Diſcipulos convocandos pulſatur .*

Ilicet e transtris cirratula turba Minervæ
Surgit, in occursum Principis acta sui.
Circuit huc, illuc, cuneosque ex ordine fingit,
Atria qui latiæ Palladis ampla regit.
Huc Galateus equos obliquo tramite flexit,
Visurus sobolis germina lecta suæ.
Vidit, & obstupuit, moderatoremque Juventæ
Sevocat, auditis alloquiturque sonis.
Hanc ego spem nostri, spem Relligionis, & orbis
Commendo curis, dulcis amice, tuis.
Cætera si peccat (nam peccat plurima semper
Hæc ætas) veniæ sentiat esse locum.
Ast ubi seu Pietas, seu rcs urbana laborat,
Implacabilibus sæviat ira modis.
Nec mora: Tarpejam recta contendit in arcem:
Hoc iter; hæc illi meta suprema viæ.
Desilit è curru, solioque exceptus eburno,
Principis Imperio, Judicis ore sedet.
Innumeri in tabulas referebant acta ministri;
Quos regni Comites legerat ante sui.
Obvius est cunctis, dubitataque jura resolvit
Comis in aspectu, comis in alloquio.
Quæritur in primis, sacra dum delubra petuntur,
Num velit urbanis ritibus esse locum.
Sponte sua mitis, justas Galateus in iras
Exilit, & tales intonat ore sonos.
O domus, o fidei templum venerabile nostræ
Maximus urbani Roma Decoris apex.
Quid juvat augustas ad cœlum attollere moles,
Altaque conspicuis ponere templa tholis,
Si minùs in Superos per te reverentia constat,
Et tuus hîc aliquâ parte laborat honos?

Car-

Carpento Matrona gravis dum ducitur aureo,
  Spectet adorantes ambitiosa viros.
At dum templa petit, vultu demissa modesto,
  Non procul oranti credat adesse Deum.
Nempe premat genibus Babylonica fulcra supinis,
  Nempe agitet molli plumea flabra manu?
Oscula Felsineis nempe imprimat uda catellis,
  Crustulaque apponat perlita melle procax?
Ubera quid tumulis prostant turgentia fictis,
  Velaque sunt velis impedienda novis?
Ritibus urbanis, Equites, hîc parcite; non est
  Nutibus hîc vestris, officiisque locus,
Ipse ego, quo pollent urbanæ Præside leges,
  Ponderis hîc jubeo parte carere sui.
More Rei posthac (quid non sibi fingit, & audet;
  Somnia dum mirâ temperat arte sopor.)
More Rei posthac & tristia squalidus ora
  Pulvis agebatur, dives Avana, tuus.
Non super hoc eadem vulgi sententia constat;
  Pars hæc oppugnat fortiter, illa favet.
Surgit in hunc verbis rigidus delator amaris,
  Crimen & his nectit, qua valet arte, modis.
Quã minus hic animo, minus integer Indole, Princeps
  Optime, de vultu proditur ipse suo.
Aspice cognato concretam pulvere barbam,
  Aspice, sit quantâ sordida labe toga.
Hæc tamen in minimis facilis numeranda putarem:
  Quod magis est, Patriæ desidiosus obest.
Otïa nempe fovet, quæ dum foveantur ab ipso,
  Proditor, hoc uno, crimina cuncta fovet
Res quoque divinas audax obturbat, & inter
  Orandum, illiciis obstrepit usque suis.

Obſtrepit, & fœda demum prurigine victor,
Ad cœlum puras non ſinit ire preces.
Pulveris hæc fatui ſtrictim ſunt crimina, Princeps;
Pendet ab arbitrio debita pœna tuo.
Protinus alter ad hæc, ſi res extrinſecus, inquit,
Pendimus, in Cœlum eſt rurſus agenda Themis.
Eſt facies objecta viro deformis; amatur
Attamen, innumeros nactus in orbe procos.
Num melior Baccho facies, dum ſordidus uvas
Calcat? & his pedibus quàm bona vina fluunt!
Num melior Cereri vultus, dum ſordida panem
Pinſit? an illa minus pulverulenta placet?
Otia nempe fovet, robur qui ſæpe colonis
Addit, & inceptum, quod ſtetit, urget opus?
Inter deficeret Patriæ conſulta Senator:
Qui relevet feſſum, pulvis amicus adeſt.
Inter Palladios torperet dextra labores:
Hauſtibus appoſiti pulveris illa viget.
Otia nempe fovet? quin impedit: utitur illo
Sæpe aliquis, ne nil deſidioſus agat.
Adde, quod Urbanæ fovet hic commercia vitæ
Pulvis, & agreſtes non ſinit eſſe manus.
Quid quod amore pari dulces confirmat amicos?
Primaque amicitiæ non ſemel arrha fuit?
Hæc ego odorato breviter pro pulvere dixi:
Nunc eſt judiciis lis dirimenda tuis.
Partibus auditis, ſellâ Galateus ab altâ
Incipit; & mediam carpit utrinque viam:
Diſcite jam noſtræ quæ ſit ſententia mentis,
Quæ rata perpetuis vivat in ære notis.
Sit procul à ſacris; hoc primum: qui ſacra turbat
Pulvis inurbanus, pulvis iniquus erit.

Si ſacra excipias, ſit pulvis honeſtus, & inſons,
  Hauriat hunc quando parca, decenſque manus.
Plauditur; & parti nova jura probantur utrique.
  Utraque nam victrix pars ſibi viſa fuit.
Proxima ſufficitur Pictorum cauſa: laborat
  Hæc tamen, haud ullis fulta patrociniis.
Non niſi viſa loquar: tabularum impura ſupellex,
  Quâ patet, è tota cogitur Urbe ſimul.
Sic collecta, pedes Galatei advolvitur inter:
  Turbaque, quid ſuper his ſentiat ille, rogat.
Non aquila hic deerat, pluviumque e nubibus aurum,
  Non Bos, non quidquid de Jove fecit amor.
Quidquid turpiculi deliravere Poetæ
  Pictum aderat; quidquid peccat & Hiſtoria.
Ferte citi flammas, Galateus turbidus irâ
  Infremit, huc celeres (quæ mora?) ferte faces,
Ite, & ſuppoſitis fœda argumenta favillis
  Urite; ab his flammis Roma pietur, ait.
At vos, dira lues, ſeclique opprobria noſtri,
  Gens mala, Pictores, Eumenidumque Genus;
Si ſapitis, veſtras aliò convertite curas,
  Unde Pudor pariter conſtet, & artis honos.
Pingite; ſed cari properantem in vulnera Nati,
  Quem vetet Aligeri dextera certa, Senem.
Pingite Phœbeæ remorantem lampadis ignes,
  Dum redeat cæſo funditùs Hoſte, Ducem.
Non ego fœmineos tabulis committere vultus
  (Vertitur hic quando Gloria ſumma) vetem.
Pingite, ſed clavo figentem inimica trabali
  Tempora Jaelem: Fœmina geſſit opus.
Pingite, ſed fuſis dum tergeret uda capillis
  Magdala Divinos, jam pudibunda, pedes.

Pingite ... Me miserum ! quid non corrumpitur arte ?
  Inficit hæc effrons vèl monimenta labor.
Cœlicolæ vultus quoties subiere profanos
  Per vos, & vultus erubuere suos !
Debbora voce tenus quoties quæ credita, Phrine est!
  Quæque fuit Judith credita, Thais erat.
Suspectas hinc sæpe preces impurus amator
  Protrahit, & dubiis hæret imaginibus.
Ergo quid hic statis ? procul urbibus ite, profani,
  Urbibus haud satis est: Ite vel Orbe procùl.
Plauditur: in plausus vix tinnula sufficit Echo:
  Adstrepit & rauco proximus amne Tybris.
Interea populi sensim crescentibus undis,
  Urgeor, & turbâ progrediente feror.
Profuit impelli: nam Principis ora tueri
  Ilicet obtutu proximiore datum.
Ille ubi me vultu coram prospexit amico,
  Tu ne meæ, dixit, conditor artis ades ?
Sevocat, & sellæ dignatur honore minoris.
  O coràm tanto Principe rarus honos !
Mox ait; inceptum constanter perfice, Vates,
  Nostri incrementum grande decoris, opus.
Urge, age, Propositum: monitis bene vivere discat
  Et Juvenum, & Puerûm turba petulca tuis.
Sed satis hæc: aliquid nunc tu, dulcissime Vates,
  A minùs urbanis, unde queraris, habes ?
Ede mihi tantùm nomen; sit ferrea quamvis
  Frons illi, merità stigmata fronte feret.
Tunc ego, non quenquam nostrũ est incessere, Princeps;
  Scilicet angusti pectoris iste labor.
Nec malefacta pari mihi fraude rependere mos est;
  Quin reor offensas ad decus esse gradum.

Quod

Quod si tanta mei sedit tibi pectore cura,
  Quâ caveam invisum, dic precor, arte genus?
Tum * Galato Galateus ait: rem quæris, amice,
  Difficilem; res est non opis illa meæ.
Donec erunt culices, muscarum & fœda propago,
  Et quidquid puras non sinit esse manus;
Semper inurbani stabunt quoque; vivida virtus
  Sæpius ut victo robur ab hoste trahat.
Rima fugæ tamen una patet: consortia turbæ
  Effuge: vis liber vivere? vive tibi.
Carminis at tanti, vigilatorumque laborum,
  Nulla meus Vates præmia digna feret?
Non leve erit, propriumque mei: Jus Urbis habeto,
  Æternumque tuâ nomen ab arte feras.
Protinus, excusso somni velamine, surgo.
  I nunc, & somnos, Invide, carpe meos.

DE

(*) *Galatus, Auctoris inter Arcades nomen.*

DE VITA URBANA

LIBER QVARTVS.

MAgnum opus aggredior:vestro sacra thura Poetę
  Eja agite Urbanæ deproperate Deæ.
Ferte manu violas, philyrisque recentibus aras
  Spargite; Panchæis fumet acerra focis.
Annua sacra Seni de more paramus Etrusco;
  Quo didicit cultus vita docente novos.
Ergo comas fusæ, nexæque ex ordine pompam
  Ducite, funereas terque rotate faces.
Pars pheretrum subeat, pars mollibus ossa hyacinthis
  Integat, effuso pars litet exta mero.
Dædaleo intereà surgat mihi machina cultu,
  Desuper excelso pendeat orbe tholus.
Mille peregrino surgant de marmore signa,
  Æraque Mentoreâ nobilitata manu.
Hic mihi fœda suos circumsecet ungue capillos
  Illuvies, viridi torta dracone caput.
Faunorumque greges, & hiantia rictibus ora,
  Dædala cælato ludat in ære manus.
Livor & Urbanis infensus cœtibus adstet,
  Et sua fumiferas vertat in ora faces.
Ast Honor elato sacer urbibus arceat ense,
  Gentem hominum truncis, arboribusque satam.
Adsit vincta comas, & honesto Gratia vultu,
  Pectoraque alterno fœdere nectat Amor.
Stet bona Simplicitas, rectique Modestia cultrix.
  Stent liquidi Risus, stent sine felle Joci.

Mox

Mox ego ſacra pio faciens de more, Sequeſter
  Publicus, hæc hominum nomine vota feram.
Sancte Senex, Cœli queiſcunque ſub orbibus erras,
  Accipe pacato, quas damus, ore preces.
Cernis inurbanæ quam ſe ſeges horrida turbæ
  Efferat, & noſtro pullulet uſque ſolo?
Obruimur numero: quis brachia tendere contra
  Poſſit, ubi effuſis æſtuat unda vadis?
Hoſtia multa tuis fœdiſſima concidit aris,
  Etruſco quondam dum gravis ore tonas.
At quæ ſuccrevit vitiato e ſtipite paſſim,
  Fac pereat jaculis turba relicta meis.
Non ego mactato tam ſim Pythone ſuperbus;
  Vel ſpoliis læter ſic, Erymanthe, tuis;
Civica Monſtra meis quàm ſi confoſſa ſagittis
  Hæc pereant; titulum nominis hujus amo.
Hoc fuit, exiguo vellem quòd currere gyro,
  Area cùm noſtris magna pateret equis.
Materies hinc lecta meis anguſta Camœnis,
  Commodiùs poſſem cùm graviora ſequi.
Tu modò prævalidas in carmina ſuffice vires;
  Nec pigeat vati lampada ferre tuo.
Fallimur? an tumulo cineres majore recepti,
  Protinus his viſi concaluiſſe ſonis?
Urge operoſe tuum mea per veſtigia Vates,
  Quod gratâ ſemper fruge vigebit, Opus.
Ad mea nunc iterum, juvenes, præcepta venite;
  Vos vos præcipuè reſpicit iſte labor.
Corporis hic geſtum motumque docebimus omnem,
  Quidquid & urbanus damnat, amatque decor.
Sed priùs hæc veſtræ ſedeat ſententia menti,
  Fœdius incomptis moribus eſſe nihil.

Cer-

Cernitis, ut ſtricto mulctet natura flagello,
Quos ſemel hâc tactos viderit illa lue.
Hæc facit occurſum ferat horum ut nemo libenter,
Illa odii nobis ſemina tanta parit.
Ecce theatrales referant proſcenia ludi,
Non his qui ſedeat proximus, ullus erit.
Ecce coronatam graditur nova pompa per urbem;
Fit fuga: Inurbanis area magna patet.
Nec leve credideris, parvoque piabile crimen,
Quod meritis virtus vincere nulla poteſt.
Sit licet intonſo probitas tibi digna Catone;
Inſideat labris Attica Suada tuis;
Ordine nobilium longo ducaris avorum,
Dives longævas arca miniſtret opes;
Denique contigerit tibi quidquid ſedula nutrix,
Et pueris optat mater habenda ſuis;
Si minùs urbanus tamen his cum laudibus audis;
Crede mihi, populo judice, nullus eris.
Dixerit hîc aliquis; peccata leviſſima, verbis
Quid facis, ò Author, magna, diſerte tuis?
Non gravius peccant in publica commoda fures,
Aut quibus injuſto ſordet ab ære manus?
Eſto: ſed ut leges gravius violentur ab illis,
Non leve ruſticitas hinc tibi crimen erit.
Sit licet Oceanus terras diffuſus in omnes;
Non tamen exiguis, Nile, tumeſcis aquis.
Ambiat immensâ Sol quanvis lampade terras;
Nomen habent cœlo Marſque, Venuſque ſuum.
Adde quod in fures, gravioraque crimina, leges,
Ne gliſcant, vigiles publica tela movent.
Libera ſed contrà, nulliſque coercita vinclis,
Latiùs hæc mediâ ſerpit in urbe lues.

Ad-

Adde, quod, ut graviùs, ſic peccant rariùs illi;
Sæpe deeſt ſceleri copia, ſæpe manus.
At tibi, inurbanis quæ moribus obſtrepat, ut non
Quæſieris, præſtò plurima turba domi eſt:
Quid magis Hyrcani metuendum dente leonis?
Quam leviter roſtro muſca timenda ſuo eſt?
Attamen excieris latebris niſi fortè leonem,
Vel leo nullius cauſa timoris erit.
Ut contra ceſſes, muſcas innata nocendi
Sponte ſuâ rabies in tua damna vocat.
Hæc quoque dum ſcribo, Stygiis emiſſa latebris
Obſtrepis ut quid adhuc muſca proterva mihi?
Ecce volat, revolatque procax: nunc ſtridula naſo,
Nunc ſummis pendet ſanguinolenta genis.
Ecce ſuperciliis excluſa, revertitur; inſtat;
Et nova mordaci vulnera figit acu.
Ergo ego, qui poſſum vaſtum vitare leonem,
Non poſſum inſidias, muſca, cavere tuas.
Quare agite, & ſolido tandem inſculpatur in ære
Clauſula, quæ dictis elicienda meis.
Crimina magna nocent, leviora moleſtiùs urunt;
Ruſticitas levis eſt culpa, moleſta tamen.
Perge age: jam ſcopulis implexum evaſimus æquor:
Nunc mea per placidas cymba feratur aquas.
Nunc tibi, nunc numero graviore, Thalia, ſonandum,
Triſtiaque iratâ ſtringe flagella manu.
Non tamen, ut quenquam offendas; prodeſſe memento,
Si te victurum nomen in orbe manet.
Sed tamen, ut noſtros relegens quicunque libellos,
Hinc ſibi cautus opem, præſidiumque petat.
Forſitan & tacito ſuſpirans murmure, dicat:
Hic novit mores unde Poeta meos?

Vul-

Vultus habet primas; princeps componere vultum
Sit labor; hoc noster tramite currus eat.
Consulit æthereos, puppim qui dirigit, ignes;
Ars sua nè mediis victa laboret aquis.
Consulit & vultum, qui tecum mutua jungit
Colloquia: hic animi signa latentis habet.
Nubila si fuerit facies, Discedite, secum:
Non habet hic ventos nostra carina suos.
Si tristis; mortem numquid dolet iste parentis?
Vir bone, non isto conveniere loco.
Scilicet ex ipso capimus præsagia vultu:
Intus quidquid agis, nos docet iste foris.
Ars tamen est, ficto mentiri plurima vultu:
Hei mihi! jam sancti est ingenuique nihil.
Sæpe dolor falsi latitat sub imagine risus,
Et risus partes sæpe doloris agit.
Me duce, mendaces vultu deponite larvas;
Ora levis scurræ vilia larva decet.
Odi ego, qui vultu nunquam sibi constat eodem,
Et nova, ceu vestes, induit ora sibi.
Seria nunc totus contractâ fronte volutat,
Frivola nunc pueri more jocantis amat;
Nunc sibi ridentis vultum, nunc flentis adoptat,
Dissimilemque sui quælibet hora videt.
Ecce salutantem quem comiter ipse videbam,
Protinus is, dixi, fidus amicus erit.
Non mora longa fuit: visum prior ipse saluto,
Comiter accedo; stipitis instar erat.
Quid mihi blanditias misces; mox torvus & effrons,
Ipsa sodalitii publica signa negas?
Qui mihi mel labris stillabas nuper amicis,
Cur me de facie noscere deinde negas?

Ite

Ite leves animi, quàm ſit mens ponderis expers
  Veſtra, ſat hæc vultus extima forma probat.
Sunt, quibus eſt facies adamante protervior omni,
  Fronſque corynthiaco duriùs ære riget.
Si placet his, magnos mutaſſe cubilia montes
  Stantibus affirmant intrepidiſque genis:
Si placet his, ardere nives, frigeſcere flammas
  Affirmant, terras currere, ſtare polum.
Si placet his, Solem Cœlo lucere negabunt;
  Et quid non audet frontis honore carens?
Non tamen in veſtro ſubruſticus ore probatur,
  Quique puellarum vix decet ora, pudor.
Illa placet facies, quæ ſpirat amabile quiddam,
  Quæque ſit urbano ſemper honore decens.
Hactenus in vultu primis proluſimus armis:
  Nunc mihi per partes excutiendus erit.
Frons ſit lætitiæ propior, non aſpera rugis.
  Lux placet innubis, frons ſine nube placet.
Sunt, quibus inſideat veluti Reſpublica fronti,
  Par Atlanteo ferre videntur onus.
Magna minaturam ſed ſi ſcrutabere mentem,
  Invenies ſolidæ frugis ineſſe nihil:
His ſimiles, pictos immani mole Gigantas
  Cernimus auratis ſubdere colla tholis.
Cumque nihil moveant, tumidâ cervice labaſcunt,
  Et latet in ficto vera labore quies.
Quo minùs inflatis quiſquam procedere buccis
  Audeat, exemplum non leve Pallas erit.
Nulla Deas inter calamos inflare cicutæ
  Doctior ægiferâ Pallade dicta fuit.
Vix paſtoralem labris admorat avenam,
  Hæſit ad inſolitum ſylva, nemuſque melos.

Fons

Fons erat illimis, ſub margine ſedit aquarum,
Exhibuit tumidas protinùs unda genas.
Confeſtim calamos frangens; non eſt Dea tanti,
Dixit, ut hâc pereat noſter ab arte decor.
Non Venus hoc fecit; Venus hîc ſuſpecta fuiſſet:
Sed Dea cui curæ forma virilis erat.
Ergo genas inflet madidus Tibicen Jaccho,
Dum ſalit incomptis ruſtica turba modis.
Dedecet Urbanum, propriam immutare figuram,
Urbis cui nunquam per ſacra jura licet.
Riſus hiet modice; turpe eſt oſtendere dentes
Ridentem, ceu tu, vilis Aſelle, facis.
Tam magis innatâ ſi ſunt rubigine putres,
Protinus in clauſtris coge latere ſuis.
Rideat Urbanus parcè: cum cauſa requirit
Scilicet, & riſum flagitat ipſe locus.
Abſint & turpes ridentis ab ore cachinni;
Ingenii pinguis ſigna cachinnus habet.
Eſt quoque Sardous, qui blandus imagine riſus
Eſt primâ, occultum virus at intus habet.
Hunc ſibi Faunorum gens fœda libenter adoptet,
Abſit ab ingenui ſed tamen ore viri.
Quo magis eſt anceps, oculorum & lubricus uſus,
Sic magis urbanæ poſtulat artis opem.
Japetides limo vitalia dona daturus
Traxerat exiguam ſolis ab axe facem.
Cætera membra ſuis ſtabant dimenſa figuris;
Aſt oculos nondum fecerat ille faber.
Ilicet in cæcos quæ flammula venerat artus,
Edidit artifici talia verba ſuo:
Ergo ego in obſcuro verſabor carcere ſemper,
Nullaque cognatæ copia lucis erit?

For-

Forſitan hæc mentis mihi munere damna rependis,
  Et facis ut videam nobiliore via?
Quî tamen hoc fiet, mentis ſi prævia lampas,
  Ingeniique, Oculus, fronte ſatelles abeſt?
Unde, per exuvias rerum mihi ſemina veri
  Prima legam? hæc oculos debita præda manet.
Hæc ſuper, imperium mihi, reſpice, quale dediſti,
  Sarcina ſitque humeris quanta ferenda meis.
Hinc leo bella movet, ſævamque exſuſcitat iram,
  Arrigit inde ungues tigris inuſta ſuos.
Ecce volutabris ſus horridus hæret in imis,
  Unde animo expirant nubila denſa meo.
Et canis, & vulpes tecto ſtabulantur in uno:
  Hoc miſera in regno regia ſceptra gero.
Reſpice ad hæc, quanto rerum confundar acervo:
  Et patiar quantas, una, nec una, vices.
Ignis agit ſurſum, retrahit me terra deorſum,
  Aer diſſimilem poſcit, & unda locum.
Differor in partes; tum quidquid prævalet horum,
  Temperies vitæ ſcinditur æqua meæ.
Adde oculos: rebus prudentia parta notandis
  Imperio accedet maxima norma meo.
Adde oculos, ſecura legam, nocitura cavebó
  Gramina: proveniat quo mihi certa ſalus.
Si nihil iſta movent: da ſaltem, juſta precamur,
  Corporis artificem poſſe videre mei.
Si minùs; in patrium fac rurſus deferar aſtrum:
  Hic locus exilii eſt, ille quietis erit.
Finierat; votis motus cum talibus Author
  Verſus ad effigiem talia verba refert:
Ibis in immenſi condenſa pericula ponti,
  Mille dolis hominum parva petenda ratis.

Forſitan & ſcopulos fugeres ſecura latentes,
  Ni traheres oculis ultima damna tuis.
Scilicet hinc tenuis qui jugiter avolat humor,
  Nil ſinet in tacito corde latere diu;
Cauſam quæſieris? partes qui corporis omnes
  Compegi, facilis cura docere mihi eſt.
Subtilis vapor, & ſincero ſanguine miſtus
  Si fluat, hic quod ames, non levis author erit.
Scintillæ ex oculis erumpunt ſanguine miſtæ,
  Trux ubi flammivomum concitat ira jecur.
Gaudia tranquillâ ſe lampade læta fatentur:
  Obducit triſti lumina nube timor.
Ut cadit arx, multo quam milite circuit hoſtis,
  Et labat in mediâ militis arce fides;
Sic te mille foris quam denſa pericula cingunt,
  Interno labes major ab hoſte manet.
Donec tecta latet, patriis roſa ſentibus hæret:
  Involat in patulas quilibet ungue roſas.
Quàm felix eſſes, ſi tu quoque tecta lateres:
  Ne lateas, oculis impediere tuis.
Eſto: tibi pateat ſpectabile quidquid Olympus,
  Spectandum vaſtus quidquid & orbis habet.
Rebus inardeſcet quàm tum ſpes anxia viſis!
  Imaque pars quantâ ſeditione fremet!
In te bella movens ſumptis leo ſæviet armis:
  Imperium excutiat quæ tibi, tigris erit.
Motibus alternis regalia ſceptra lababunt!
  Servilique geres vincla pudenda manu.
Docta minùs, regnum ſecurius ipſa teneres:
  Quàm vereor, ne mox doctior inde cadas.
Aſt oculis quæ certa fides? ſi lumina fallunt;
  Mens quoque non fidis teſtibus uſa ruet.

Ut

Ut non fallantur, quàm paucula ſcire licebit,
Non niſi continui parta laboris ope.
Quod ſcis dulce minùs; quod neſcis fortiùs angit:
Deque mari tanto gutta bibenda datur.
Denique tam varios ſors offeret invida caſus,
Ut cuperes tantis cæca latere malis.
Cum decus oppreſſum, cum crimina ſtare videbis,
Quàm velles oculos non habuiſſe tuos!
Cum tot Inurbanos in qualibet urbe videbis,
Quàm velles oculis poſſe carere tuis!
Sed quid plura loquor? quod vis tandem accipe munus,
Sed, puto, non facilis muneris uſus erit.
Vix ea: cum frontem terebravit utrinque, duaſque
Fixit in excelsâ lampadas arce faber.
Utque luto fuerat compacta recenter imago,
Flevit, & a lacrymis orſa videre ſuis.
Omen ineſt lacrymis; ſunt Pharmaca proxima morbo;
Lumina quod peccant, lumina jure luant.
Crimina nunc aliis graviora notanda relinquo:
Quod licet, in noſtrâ non ſatis arte, canam.
Quorum oculi volucres, nec ſede morantur in una,
Author ego, ſemper dixeris eſſe leves.
Lumina luminibus paſſim occurſantia nolo;
Pupula non tantum ſuſtinet icta jubar.
Hæret hic in vultu ſtolidè defixus; & inſtar
Nunquam viſa prius monſtra notantis, hiat.
Ruſticus haud aliter pellitus obambulat urbem,
Cui patrii multum fronte mapalis ineſt.
Eſt, oculis etiam cui mos nictare frequenter;
Ceu tremulo nictant ſidera fixa polo.
Eſt, oculos qui ſæpe ſuos diſtorquet, & alter
Dum ſurſum ſpectat, deſpicit alter humum.

Trajicit ille oculos, huic pupula conditur; ille,
  Quo ſolet hircus olens more videre, videt.
Odi proſtantes, nativaque clauſtra peroſos,
  Quos laribus jures cedere velle ſuis.
Quid dicam, ſpeculâ vigilant qui ſemper ab altâ?
  Durus ut excubias nocte ſatelles agit.
Quidquid agis, furtim obſervant; ſub valle latenti
  Vividus inſidias ſic ſtruit Umber apro.
Non ita ab alternis qui febribus uritur, horam
  Pallidus inviſi frigoris ante timet;
Non ita virginibus gravis eſt, puerisque magiſter,
  Cum ferulam quaſſans, ore manuque tonat;
Ut genus hoc hominum quiſque averſatur, & odit,
  Per quos libertas, pax & amica ruit.
Ruſtice, te-ne meos clam contrectare libellos?
  Noſtraque furtivâ vertere ſcripta manu?
Sæpe meæ, memini miſer, erubuere camœnæ,
  Cum ſua clam domino carmina lecta forent.
Scilicet incomptis ars nondum extrema decorem
  Addiderat, cultus nec ſatis aptus erat.
Diſplicet hoc meritò: quid epiſtola lecta latenter?
  Materies juſti quanta doloris erit?
Scilicet arcanis vix exportanda tabellis
  Quæ damus, impuro ferreus ore leges?
Illa ſales quamvis, & nil niſi frivola narret,
  Non tamen eſt oculis charta legenda tuis.
Occultos decet eſſe ſales: quàm ſæpè decorem
  Littera deperdit publica facta ſuum?
Si quis fortè manus alienam intruſit in arcam,
  Fur eſt; exanimum de trabe pendet onus.
Qui mihi furtivis chartas ſublegit ocellis,
  Fur eſt; cur mediâ tutus in urbe volat?

Vi-

Viderit hæc judex: Noſtram formandus ad artem
Tu quoque nunc paucis, Naſe petulce, venis.
Quis furor immundas digitis emungere nares,
Munda, age, quid ceſſas? lintea prome, Puer.
Quis furor eſt globulos illinc ſpectare cadentes;
Num gemmæ hæ, Ganges, nunquid, Erythra, tuæ?
Denique, quidquid erit faſtidia gignere natum,
Nil refert fuerit clam ne, palam ne, tegas.
Sit pudor ò noſtri, ſua ſit reverentia ſolis:
Quemque colas, tecum ſemper adeſſe puta.
Te vereare; tuique tibi largitor honoris
Fac ſedeas: monitum non leve lector habes.
Sternuerit quiſquam? flexu cervicis honorem
Innue, mox tacitâ voce precator, Ave.
Dein reliquos partus nullo dignabere cultu,
Queis non æqua Venus, nec bona Juno favet.
Sed quid ego noſtris comprehendere verſibus optem
Singula: num parvo clauditur orbe Thetis?
Juverit hinc ſacros generatim oſtendere fontes,
Unde tibi certis norma petenda locis.
Quod leviter nocet, & fœdum ſe ſenſibus offert,
Hoc tacitè urbanùm dixeris eſſe minùs.
Aures offendit ſonus aſper; ſcabra caveto
Cum ſcabris durâ confricuiſſe manu.
Diſplicet hinc ferri, ſerræque inamabile murmur;
Et gemitus tractæ, quà via iniqua, rotæ.
Aures offendit ſonus ingens; effuge quidquid
Aut ſtrepit, aut vocem grande boantis habet;
Quid mihi Stentoreo tumidus baccharis hiatu,
Quum lateri ſedeam proximus uſque tuo?
Quàm potes, ò, minimo tibi murmure tuſſis anhelet,
Quâm potes, ò, minimo ſternue quiſque ſono.

Aures offendit discors sonus ; effuge cantum,
Si vox abnormis, nec satis apta tibi est.
Et tamen hos videas subcantillare frequenter,
Queis vox quiddam æris pingue sonantis habet.
Hi Venetis quidquid modulatur scena theatris,
Trinacriosque tenent, Sequanicosque modos.
Cantus in ore sonat, si fortè negotia tractant;
Ludicra si tractant, cantus in ore sonat.
Cantus in ore sonat, si turba canentibus adstat;
Si procul à turbâ, cantus in ore sonat.
Malim ego tractorum stridorem audire rudentum,
Æraque discinctis quæ faber aptat equis,
Gutture quam tetro jugulatos ferre susurros,
Atque inconcinnis verba liquata modis.
Sunt oculis quoque grata parum ; deformia visu,
Fœda, nihil certi quæque decoris habent.
Cui coma pexa minùs, cui sordida barba, pilosæ
Cui nares, oculo judice crimen habent.
Qui linguam labris educit hiantibus udam,
Qui digitis barbam, qui caput ungue fricat;
Qui prudens oculos divaricat, ora ferarum
Induit, invalidum jactat utrinque caput;
Qui tinnit digitis, qui pressis stridet acutum
Dentibus: hæc oculo judice crimen habent.
Quàm tener olfactus! tetros fuge cautus odores,
Nasus in hâc solers arte magister erit.
Parce notes digito, si quid via publica fœdum
Occulit, aut turpi contegit herba fimo.
Spiritus impuro cui teter anhelat ab ore,
Hic mihi plus modico distet ab ore loquens.
Non tamen ut sensim pastillos pinset odoros;
Ars retegit morbum, non tegit ista tuum.

Sor-

Sordidus unguentis, ſemperque opobalſama ſpirans;
  Hic tibi ſuſpectus, ne tegat ulcus, erit.
Diſplicet omnis odor, modò ſit quæſitus ab arte;
  Nativo quidquid fragrat odore, placet.
Vir redoleto virum; peregrinum ſpiret odorem
  Fœmina; ſat benè, qui nil mihi putet, olet.
Denique, quod, deceat ſpectabis in omnibus, iſtâ
  Voce fac inſideat pectore nulla magis.
Quid tamen eſt Pulchrum, vis ducitur unde Decori,
  Dicite Pierides, Pegaſideſque Deæ.
Hæc ego dum mecum tacitâ ſub mente voluto,
  Perculit obtutus lux inopina meos.
Virgo erat aſpectu, redimitaque virgo coronâ:
  In manibus gemmis circinus aſper erat.
Mox Dea ſubridens; quid pulchrum, nulla docere
  Te melius vates, quam Venus ipſa, poteſt.
Sum Venus; at ſpumis non mobilis edita Ponti;
  Sum Venus, at ſummo nata ſub axe Venus.
Ordo mihi pater eſt; ego dicor ab ordine naſci:
  Quòd placeam vobis, qui placet, Ordo facit.
Cum chaos, & rerum confuſa lateret imago,
  Terræ ignis ſtabat proximus, ignis aquæ.
Partibus acceſſit vix digladiantibus ordo,
  Inque ſuas abiit didita maſſa domos.
Tunc fuit, ut caperes moderamen, Phœbe, diei,
  Lunaque nocturnis alta ſederet equis.
Ordine cuncta fluunt, ſuus omnia continet ordo:
  Ordine eunt menſes, ordine terra parit.
Semina hyems condit, ver elicit, excoquit æſtas,
  Autumnus cellis congregat illa ſuis.
Ordo facit, vindex quòd pœna coerceat urbes,
  Præmiaque alternâ dividit ordo manu.

Et ſuus eſt ipſis virtutibus inſitus ordo :
  Ordo, quòd placeant, alliciantque, facit.
Diſſolvunt elementa fidem, Reſpublica nutat,
  Deficit & virtus, ſi ſemel ordo ruit.
Partibus ad totum ſeſe referentibus, ordo
  Naſcitur : hoc pulchrum fonte, decenſque fluit.
Sed ſatis hæc : patrii concentibus avocor axis :
  Hinc operi, Vates, collige multa tuo.
Dixit, & ad cœlum geminis ſe ſuſtulit alis.
  Hei mihi congreſſus quàm brevis ille fuit!
Ordine ſtat Pulchrum : careat non ordine geſtus :
  Quidquid agis numeris temperet ordo ſuis.
Fortè ſedent ſocii ; cur tu diſcurris in ædes ?
  Si ſtant, cur illis ſtantibus ipſe ſedes ?
Accubituque minùs ſellæ projectus honeſto,
  Crura ſuperpoſitis cruribus uſque foves ?
Quid quod, rauca refers digitorum tympana pulſu,
  Hac, illacque pedes irrequietus agis ?
Interdumque legis, ſi quid tibi ſcripſit amicus ;
  Aut tacitis muſſas nuncia ſcripta notis ?
Quid quod, & averſus laquearia pendula ſpectas,
  Nec pudor eſt altas enumerare trabes ?
Quid quod forficulà reſecandos totus in ungues
  Incumbis ; fædum virus ut inde trahas ?
Quid quod, & inſertis expurgas unguibus aures ;
  Expolit aut dentes cuſpis eburna tuos ?
Et quota pars fluxit, rogitas perſæpe, diei,
  Æraque plus nimio publica ſtare doles ;
Aut ſpuis in digitos, animam vel comprimis oris,
  Longiùs ut ſordes ejaculere tuas ;
Aut laqueos muſcis, & ſubdola retia tendis ;
  Captivaſque infers in ſua clauſtra feras ;

Aut

Aut per laxa manu repis femoralia furtim,
  Ut pereat vigili tortus ab ungue pulex.
Omnia fœda : modis & pinguibus illita sordent,
  Nempè quod his nullus gestibus ordo subest.
Nec satis ad Pulchrum, quòd membra venusta seorsum
  Singula sint ; propriis si minùs apta locis.
Est Juvenis quidam, nomen reticere juvabit,
  Qui niveis vincit cana ligustra genis ;
Luminibus fax bina micat, coma concolor auro;
  Risus hians modicè, nasus in ore teres.
Singula laudares : totum contemnere velles,
  Nec tibi, quod facies illa placeret, erat.
In promptu est ratio ; vultu non vultus in uno
  Unus erat, simplex forma nec illa fuit.
Dixisses, quàm dulce micant hæc lumina : vultus
  Lumina sunt, Juvenis, non tamen ista tui.
Dixisses, flavo nitet hæc coma concolor auro ;
  Aptior alterius sed foret illa genis.
Emendicato pudeat te vivere vultu ;
  Redde, puer, dominis singula membra suis.
Viderat hoc Zeuxis Calabras accitus in oras,
  Pingeret ut vultus, rapta Lacæna, tuos.
Non fugio certamen, ait, septemque vocatis
  Virginibus, magnum pingere cœpit opus.
Arte tamen certâ, quidquid præstaret in illis,
  Protinus in tabulam sevocat ille suam.
Hæc spectanda genis, sed erat minùs apta capillis :
  Eminet hæc oculis, sed minùs ore valet.
Reddite, Pictor ait, discordia membra puellæ :
  Hæc sibi restitui nostra Lacæna cupit.
Hinc opus Artificis mirata est Græcia tanti,
  Pulchrior & verâ picta Lacæna fuit.

Qui legis iſta, meis hoc prudens erue chartis:
Tam magis urbanus; quam magis unus, eris.
Unus eris quoties; quæ feceris omnia; vel quæ
Dixeris, urbanus diriget illa decor:
Unus eris, quoties, quid tempora certa requirunt,
Et locus, urbanâ pendere lance velis.
Unus eris, quoties talem te cortice primo
Exhibeas, nucleo qualis & intus eris.
Vir non unus eris, ſi fortè ornabere cultu
Fœmineo; ſed eris fœmina, virque ſimul.
Vir non unus eris, ſi militis arma togatus
Indueris; doctor ſed ſagulatus eris.
Vir non unus eris, ſi comptus more vetuſto
Incedas, ſed eris vir vetus, atque novus.
Veſtibus idcirco, tua quas laudaverit ætas,
Utere, ſi carum te juvat eſſe tuis.
Diſſociant animos varii diſcrimina cultus:
Par animos cultus nectit amore pari.
Navita cæruleos trahit in ſua retia piſces,
Gauſapa cæruleo tincta colore gerens.
Lanigeras paſtor qui ducit in antra capellas,
Non niſi lanigerâ corpora veſte tegit.
At quibus indueris, tibi ſint aptata decenter:
Sat dives, ſedeat ſi bene, veſtis erit.
Hinc fuge venali proſtantia pallia filo,
Quidquid & exterſo vendit Apella ſitu.
Munditiis ſtudeas; modus at quærendus in illis:
Quæſitus nimiâ diſplicet arte decor.
Vidi ego compoſito fluerent niſi Syrmate veſtes,
Nec foret in certos zona voluta ſinus;
Si pilus abraſo fruticaret in ore relictus,
Linea divideret nec bene ducta comas

Aut.

Aut levis inficeret tunicæ pulvisculus oras,
  Protinus iratum fanda nefanda loqui.
Quid tua conditio, tua quid sibi postulet ætas,
  Quodque genus deceat vestis utramque, vide.
Candida fac careat cesto Venus, Ægide Pallas:
  Deme fides Phœbo, tela trisulca Jovi;
Aut sua si Baccho præcidas cornua, notus
  Vix tibi de superis unus, & alter erunt.
Sæpe salutatus titulo mihi sutor equestri,
  Sæpe, velut sutor, dissimulatus eques;
Cur? nisi quod vestes sutor gestabat equestres;
  Vilia sutoris pallia ferret eques.
Præcipuè festâ tamen hoc tibi luce cavendum,
  De grege cum quivis luxuriatur, erit.
Sardonycas digitis grandes tunc institor aptat,
  Exuit & pexus pallia trita coquus.
Tunc lanius totam scutulatus obambulat urbem;
  Perlitus & cocco compita pistor obit.
Pompa venit: templi decedite parte Quirites:
  Quid statis? procul, ò, cedite; pompa venit.
Respexi, trepidusque meâ statione relictâ
  Decessi; tamquam regia pompa foret.
Ecce tibi templum crepitantibus obsita gemmis,
  Et gravis insuto fœmina Gange subit.
Clara requirenti mihi stemmata gentis, in aurem
  Nescio quis; lanii divitis uxor adest.
Quid juvat adscitis ridendum incedere pennis?
  Exemplum cornix, quod caveatis, habet.
Quis ferat in morem Phrygii Ganimedis amictum,
  Cui propè jam vitæ meta peracta, Senem?
Læta decent juvenes, insignibus utere lætis,
  Dum calido vernat sanguine vena recens.

Pul-

Pulla decent ætate graves, ſenioque verendos;
Qui medius color eſt inter utrumque, viros.
Plurima prætereo; nam plura doceberis uſu:
Corporis ornatum qui regat, uſus erit.
Si ſibi quiſque tuâ detondet in urbe capillos;
Nolo ego promiſſis conſpiciare comis.
Si ſibi quiſque ſinit ſenium ſuccreſcere barbæ;
Nolo ego detonſis conſpiciare genis.
Non tamen hoc prohibet, modice deflectere ab uſu
Quin poſſis, uſus derogat ipſe ſibi.
Cruribus es brevibus, prolixaque veſtis in uſu eſt:
Quâ tegeris, veſtis longa ſit illa minùs.
Cruribus es longis; contractaque veſtis in uſu eſt:
Quâ tegeris, veſtis longa ſit illa magis.
Non levis artis erit, vitium occultare decenter:
Ne nimiâ id fiat ſed tamen arte, cave.
Ut ſi quis caligis flammantibus utitur oſtro,
Tibia cui talo non benè nixa ſuo eſt,
Non tegit hic vitium: ſed qui color eminet idem
Efficit, hâc vitium prodat ut arte magis.
Ut ſi cui ſcapulæ gibboſo tubere turgent,
Hunc nimis adſtricto fibula dente premat,
Non tegit hic vitium; ſed moles tuberis extet
Ut magis, adſtricto fibula dente facit.
Ni tamen urbanis veſtes inceſſibus effers,
Profuerit veſtis quid benè culta? nihil.
Inceſſu vir quiſque patet, tacituſque fateri
Qui ſit, ab inceſſu cogitur ipſe ſuo.
Mollem animum fractus; vagus incertuſque, ſolutum;
Si fuerit conſtans; arguit eſſe virum.
Hæc ego dum meditor, reſeratis fortè feneſtris
Spectabam populi prætereuntis iter.

Ecce

Ecce mihi primum ſeſe cirratulus offert,
   Oblitus unguentis, deliciiſque fluens.
Pellibus Euganeis manus utraque tecta latebat,
   Nobilis è ſciſſa pelle nitebat onyx.
Protinùs inceſſum naſo cenſore notavi;
   Materies monitis creſceret unde meis.
Non ita mollis Anas, cum defluit amne ſecundo,
   Circumagit clunes, albaque terga rotat.
Non picturatis ita te circumſpicis alis
   Scurra Palatinæ, Pavo ſuperbe, domus;
Ut puer hic fractis luſtrabat greſſibus urbem,
   Criſpans compoſito lubrica terga gradu.
Subſtiteram paulùm; cum ſe teſtudinis inſtar,
   Guttatim lentis paſſibus alter agit.
Hic volat adductis curſoris more lacernis:
   Manat ab immundis plurima gutta genis.
Calcitrat hic; varis ſe fert inceſſibus alter;
   Hic titubat, mediis ut ſolet alnus aquis.
Quolibet ille gradu pavidus cunctatur, & hæret,
   More viam carpens multa timentis equi.
Pes huic rauca gemens luctantia ſaxa fatigat:
   Tinnula non alio plauſtra fragore ſonant.
Neſcio quid loquitur, dum ſolus obambulat ille:
   Fallor? an elatâ ſupputat æra manu?
Hic velut in ſocium paries caſurus inhæret,
   Nec cubito parcens turbat euntis iter.
Reſpicit à tergo ceu fures ille timeret;
   Urgeretque ſuum ſica doloſa latus.
Sed priùs enumerem quot habet Methymna racemos,
   Gargara quot fruges, Trinacris Hibla favos,
Quàm varios poſſim complecti carmine motus,
   Quos dedit ante oculos hora vel una meos.

Vi-

Vidi ego qui ſuras paſſu diduceret amplo ;
Haud aliter laxo Circinus orbe patet .
Vidi ego qui recto nunquam ſe tramite ferret ,
Parque tuis iret , torte Cayſter , aquis .
Singula dum mecum ſpeculâ meditabar ab altâ ,
Perſtreperetque meo riſus in ore frequens ;
Ilicet inſolitis clamoribus avocor ; aures
Arrigo , jam propior verberat aſtra ſonus .
Quæ ſpecies , & quanta fuit ? quam mirus ubique
Splendor , & à gemmis creſcere viſa dies :
Anteit effuſis famulorum fluctibus agmen ,
Quos Phrygia inſignis veſtis obibat acu .
Succedunt mox ære graves , auroque quadrigæ ,
Sectile quas Pharii dentis oberrat opus .
Gratulor oblatæ ſpectacula regia pompæ ,
Tempeſtivè oculos detinuiſſe meos ,
Hæc ego dum tacitis obtutibus omnia luſtro ,
Materies dubitans vincat , an artis opus ;
Præcipuè inceſſus mentem oblectabat equorum ;
Hæc ſpecies oculos detinet una meos .
Nil erat arte carens , Cervix erecta micabat :
Immotis ſtabant pectora lata toris .
Dixeris urbanam perfectos nuper ad artem ;
Non nihil his noſtræ mentis ineſſe putes .
Mox ego : proh quantas hominum ſolertia vires
Exerit , & quantum numinis inſtar habet !
Forſitan his excors agitaſſet plauſtra bubulcus ,
Et via ridendis hæc tereretur equis ;
Dum tamen a teneris greſſus glomerare magiſter ,
Compoſitoque docet flectere crura gradu ;
Hos modò quàm cupidis ſpectant obtutibus omnes ,
His modò quàm læto murmure Roma favet .

Quod

Quod si multa feris concessum est discere brutis,
Miraque dum dociles mens aliena regit;
Cur, ubi mens habitat, solioque locatur avito,
Non magis in proprio prævalet illa loco?
Scilicet ut pueris facies invisa magistri,
Ut medicum rarus, qui colat, æger erit,
Ille suis nugis puerile quod abstinet agmen,
Pharmaca quod tristi diluat iste manu;
Nomine sic ratio fugienda videtur utroque,
Dum docet, & munus triste medentis habet.
Ast alii, quocunque ruit natura, queruntur
Invitâ frustrà se ratione trahi;
Utque latus victum, nil obluctante magistro,
Obiicit insanis concava puppis aquis;
Sic quoque decisis mentem languescere nervis,
Nos ubi præcipiti turbine sensus agit.
Nulla ne naturæ circumdare fræna ruenti
Possumus? huic mentem succubuisse decet?
Quid furit igne magis? quanta est truculentia flammis?
Cum per terrarum subdita claustra ruunt.
Tormentis resonare cavis tamen arte docemus,
Et dociles ignem texere in astra fugas.
Est aliquid tumidi violentius æquoris undis?
Amne quid effuso sævius esse potest?
Frangimus arte tamen tumidarum robur aquarum,
Fræna procelloso ponimus arte mari.
Aspice nativis motos de finibus amnes,
Aspice compulsos in sua claustra lacus.
Quid dicam jussos latè decrescere montes,
Et valles summis montibus ire pares?
Ergo ne, cum terræ, cælo, dominetur, & undis,
Mentem naturæ succubuisse decet?

Pareat hæc, leges indicat ſenſibus illa,
Atque reluctantes in ſua fræna trahat.
Nec minùs internos diſcat componere motus,
Quam ſimili motus corporis arte regat.
Nequid in inceſſu nimiâ gravitate notetur,
Nequid feſtinum ſit nimis, illa vetet.
Quod ceroma ſapit, luctatricemque palæſtram,
Paſſibus urbanis juſſeris eſſe procul.
Quodque nimis fractum, nimiùmque imbelle, cavebis,
Quodque ſcholam, & choreas, deliciaſque ſapit.
Non vagus hâc illâc, non deſultorius ibis:
More nec incedes ſuccutientis equi.
Nec minùs erectis inceſſibus utere durus,
E ſolido tanquam fuſilis ære fores.
Denique ſit conſtans, rectuſque inceſſus, & aptus,
Et procul à vitio, docta Thalia, tuo.
Quis probet argutaſque manus, digitoſque loquaces,
Sanus, & in numeros brachia mota leves?
Aut cum laxa jacent, lentiſque fluentia nervis,
Aut temerè hâc illâc, more ferentis, eunt.
Ni quid fortè vetet, gremio conjunge decenter.
Parte togæ geminas impediente manus.
Non tamen hærendum paſſu tibi quolibet eſſe
Finge, meas leges ſi tenuiſſe velis.
Sit modò longævus, primiſque aſſumptus ab annis
Uſus, & in portu jam tua navis erit.
Litterulas puero cum prima notaret arundo,
Torquebat ductu littera quæque ſuo;
At nunc ſponte manus (calamum clam dirigit uſus)
Fertur in officium libera facta ſuum.
Quam durum eſt voces numeris vincire, modoſque
Addere, quo conſtent ſingula verba ſibi.

At

At nunc ſponte mihi (numeros clam ſuggerit uſus)
Occurrunt aptis verba ligata modis.
Nec facile eſt tantùm, longo quod diſcitur uſu,
Suave fit ex uſu, triſte quod ante fuit.
Sive quòd à pueris quæ diſcimus, altiùs hærent;
Et bene quæ norit quiſque, libenter agit.
Sive quòd occultè naturam tranſit in ipſam
Uſus, & in nobis par quoque pondus habet.
Quidquid id eſt, longo non ſic dediſcimus uſu,
Quæ mala ſunt teneris moribus hauſta ſemel.
Ut diſcas novitatis amor, laudiſque cupido
Urget, & incœptum nil remoratur iter.
Dediſcas ut contra aliquid, contrarius obſtat
Impetus; adverſis carbaſa ducis aquis.
Triſtibus unguentis corrupta Fidelia primùm,
Ut bene radatur, priſtina ſemper olet.
Sordida ut affuſis ſubigatur veſtis in undis,
Quæ latuit labes non benè, rurſus hiat.
Forſitan aſſuêrat femoralibus abdere ſemper
Quidam, dum fuerat virque, puerque, manus.
Canus id erubuit, ſtudioque hoc cogitat omni
Ut clandeſtinas arceat inde manus.
Sed manus intereà, femoralia nota reviſens
Clam ſene, conſuetas itque reditque vias.
Forſitan aſſuerat verba inter ſingula naſum
Tangere, dum fuerat virque, puerque, ſuum.
Improbat id ſenior, totamque huc admovet artem,
Ad conſuêta manus ne loca rurſus eat.
Sed manus intereà naſum complexa tenebat
Fortiùs, irridens irrita vota ſenis.
Eſt morbi genus, hic pueros comprendere natus;
Morbillus latiâ nomen in urbe tulit.

Hic ſimul infecit puerilia labra, genaſque,
Nunquam delendas figit in ore notas.
Morbilli genus eſt, quidquid puerilibus hauſtum
Moribus, urbanus læditur unde decor.
Morbilli genus eſt, primo quæ parva ſub ortu,
Culpa, ſuum ſenſim tollit ad aſtra caput.
Atqui ſæpe homines vitiis emergere vidi,
Quæ graviora forent, quæque cavenda magis.
Hic putris in Venerem noctesque dieſque ruebat;
Pœnituit; parvo tempore caſtus erat.
Hunc damnoſa ſuis permunxerat alea talis:
Erubuit; talos jamque valere jubet.
Scilicet exuimur vitiis majoribus; at qui
Morbillum valeat tollere, nullus erit,
Exue morbillum, dum nondum obduruit ætas,
Seminaque ingenii ſpontè ſequacis habet,
Exue morbillum, dum nondum apparuit ulcus;
Lanaque non alio tincta colore rubet.
Stulte, quid Æthiopem fontana mergis in undâ?
Num niger affuſo tollitur imbre color?
Stulte, quid & Lapithas, quà pocula parte bibantur,
Quoſque colat ritus publica menſa, doces?
Inter Sicelidas non te, Galatea, Puellas,
Æquoreaſque fuit pulchrior ulla, Deas.
Protinus hanc vidit; viſam Polyphemus amavit:
Et, Valeant aliæ; tu mea, dixit, eris.
Quid tibi cum pulchrâ, Paſtor turpiſſime, Nympha;
Scylla foret thalamis non magis apta tuis?
Dona coloratas mittit dotalia conchas,
Demptaque vimineis pronuba mella favis,
Aggerat his nivei condenſa coagula lactis,
Intactamque ſuo de grege mittit ovem,

Littera mox putris perarатur cortice fagi :
Hei mihi quàm fœdis littera scripta notis !
Hoc caput : Ut nollet si nubere sponte roganti,
Vim sibi de mediis rapta caveret aquis.
Vix ea perlegit ; flavos Galatea capillos
Solvit, & indigno sauciat ungue genas.
Ab Jove certa ferens glauco mandata Tonanti,
Mercurius Siculas hospes obibat aquas.
Isque ubi te mœstam coram, Galatea, notasset,
Et quæ causa tui, Nympha, doloris? ait.
Explicat illa minas, & turpis vota Mariti,
Præsentemque sibi Numinis orat opem,
Risit Atlantiades ; Polyphemum eludere pronum est,
Scribe, ait, & mentis summa sit ista tuæ,
Te facilem tanti subituram jura Mariti,
Quo Siculis nullus pulchrior esset agris ;
Hoc tamen oratum Polyphemum velle, decori
Interea studeat, munditiasque colat,
Cumque foret vitreâ Neptuni festus in aulâ
Inter Nereidas mox peragendus Hymen,
Disceret ad numerum choreas agitare decenter ;
Claudatur solito littera scripta Vale,
Hæc ubi præstiteris, scopulo latitabis in illo ;
Innuit & scopulum : non procul ille fuit,
Huc quoque Tritonas vastâ se mole ferentes
Occule : tu positâ jussa facesse morâ.
Paruit hæc ; missis gaudes, Polypheme, tabellis,
Spemque nihil dubiâ credulitate foves.
Ergo coloratis conserta monilia conchis,
Velleraque eximio de grege tonsa capit,
Pectit & hirsutos rastro septemplice crines,
Liliaque ingenti quassat opima manu,

Corpore mox toto pelagi projectus ad oram,
Turpia commotis fluctibus ora lavat.
Stulte, quid auritos venaris in aere cervos?
Blanda quid è duro marmore mella petis?
Quid tibi munditiæ, Pastor turpissime, prosunt?
Omnia fac: semper tu Polyphemus eris.
Jamque dolos secum tacitâ sub mente volutans;
Venerat huc Majâ de genitrice satus.
Tum quid agis, bone Pastor, ait, quæ causa recentis
Cultus? unde nitor tantus in ora venit?
Ille sub hæc; Novus instat Hymen, Galatea maritum
Me petit; huic conjux jungar oportet, ait.
Jussit ut ornarer; mora nulla decentiùs ornor:
Munditias colerem; munditiasque colo.
Displicet hoc tantùm, choreas quod discere jussit:
Quâ miser heu! valeo prorsus in arte nihil.
Scilicet hoc angit? si me, Polypheme, magistro
Uteris, ut discas, est brevis hora satis.
Dic age, Pyrrhichiis agitare rotatibus artus,
An magis Œolio ludere more cupis?
Rite salutabis flexâ sic fronte coronam;
Sic tibi pes curvo poplite verrat humum.
Vir bone, num cervix obduruit ænea collo?
An ne pedes subito diriguere gelu?
Funibus hic opus est; gaude fortissime Pastor:
Ne dubita, voti me duce compos eris.
Nec priùs hanc didicit tibi par Tirynthius artem,
Quam sineret vinclis crura, manusque regi.
Herois te tanta sequi vestigia par est:
Nunc mihi, quæ peragas, pauca monendus ades.
Brachia recte traham; jactato brachia, suras
Excutiàm; suras, nec mora, tolle sequax.

Hæc

Hæc ubi; villosis circumligat horrida setis
 Brachia, & in pedibus taurea lora ligat.
Imperiis duri pares, Polypheme, magistri,
 Tantus in attonito pectore torpor erat.
Et jam Mercurius scopulo consederat alto,
 Alternâ quatiens lora magistra manu;
Quem subter pavitans vix se Galatea tegebat,
 Tritonesque citi, Nereidumque chorus.
Quove suum molliret opus, Polyphemus avenâ
 Personat; illa gemens murmura quassa jacit.
Nunc caput attollit, frontemque in nubila jactat,
 Grandia nunc circum membra sine arte rotat.
Vidit ut alterno pastorem crure labantem,
 Dexter in obliquum lora magister agit.
Concidit ad terram Polyphemus: tota remugit
 Ora maris; vastis motibus Ætna tremit.
Ilicet emergunt vitreis Tritones ab antris,
 In tales dudum Turba parata dolos.
Tum villosa feri Pastoris in æquora trudunt
 Corpora; luctantem fortius agmen agit.
Illum spumifero manantem rore videres,
 Pugnantem & validâ scindere lora manu.
Plaudunt Nereides; turpem Galatea maritum
 Risit; Atlantiades victor in astra redit.
Fabula narrata est: monitus nunc percipe nostros;
 Non quidquam his majus Delphica laurus habet.
Ni puer à primis urbanè assueveris annis
 Vivere; qui legis hæc, tu Polyphemus eris.

DE VITA URBANA

LIBER QUINTUS.

ET jam me positis Urbis convivia mensis,
 Et tua vitisator pocula, Bacche, vocant.
Ite, corymbiferis puppim redimite coronis,
 Quæ portum fesso remige læta subit.
Sed tamen, ante datas, quàm tangimus æquore metas,
 Ni grave sit, paucis, Musa, monenda mihi es.
Non tibi fas humili penetrare Palatia socco:
 Si sapis, ad magnas siste, Thalia, fores.
Aspice, regifico niteant ut fercula luxu,
 Mensaque Mentoreæ splendeat arte manus?
Quæ Batavæ nevere nurus mantilia cernis?
 Fœminaque artifici Belgica lusit acu?
Argento pretium vis auri detrahit, auro
 Gemma, suas luxus perditur inter opes.
Hic, cave, quæsieris, ne quâ sit fraude supellex
 Parta, vel occultis turpiter aucta dolis;
Nec si funereo Provincia ploret amictu,
 Vectigal Dominæ pendere jussa gulæ;
Desine: mordaci non hæc perstringere versu
 Tempus, & ingenium molle, Thalia, tuum est.
Qui fragor, & quantus! famulorum turba per ædes
 Dum sine lege procax, dum sine fronte ruit.
Plus ubi servorum, vix est qui serviat aptè:
 Quæque obeunt plures munia, nullus obit.
Quid tibi regna canam, quæ mox durissima structor
 Exercet, dominâ dum regit arte dapes?

Ec-

Ecce capillati, qui menſæ operantur Ephebi,
Ad numerum cyathos, hauſtaque vina vocant.
Succedunt dapibuſque dapes, & fercula trudunt
Fercula, per certas irrequieta vices.
Tangere multa tibi, ſed ſcindere pauca licebit,
Magna oculis aderit pompa, puſilla gulæ.
Quid mihi, ſi niteat gemmis extantibus aſper,
Si tamen exiguo vix patet ore, calix?
Quid quod longa ſalus domino libanda potenti,
Quæque per antiquæ ſtemmata gentis eat.
Hæc ubi præſtiteris, tanto quæ parta labori
Eſt Merces? minimo fallere labra mero.
Finis adeſt menſæ: menſâ de divite ſurgit
Nec benè cœnatus, nec benè potus Eques.
Intereà libata ſacræ vix fercula cœnæ
Obſceno famuli turpiter ore vorant.
Illuduntque ſuper, magnis quòd ſumptibus empta
Fercula ſint Dominis, gaudia parta ſibi.
Hæc ne putem noſtris convivia legibus apta?
Ad numeros revocem fercula picta meos?
Ergo age: privato quâ ſe torus explicat orbe,
Ne grave ſit Vati, Muſa, præire tuo.
Aut ubi cultus eques, parili ſtipante coronâ,
Sumit honoratâ pocula parca manu.
Nec pudor, accubuiſſe tibi genialibus hortis
Margine ſub viridi lene ſonantis aquæ;
Aut ubi regali ſe Pincia Villa theatro
Effert, urbano carpere more dapes.
Me duce,* Teſta frequẽs quibus imminet,ătra cavebis,
Aut pila queis nomen, luſibus apta, dedit.

* *Cryptæ vinariæ Romæ celeberrimæ. Mons Teſtaceus. Taberna, cui nomen à pila luſoria.*

Me duce, non humiles dignabere, Musa, tabernas;
Namque locus tantam dedecet ille Deam.
Vilibus hæc Bacchi sacris operata juventus,
Hæc petat è mediâ plebe popellus iners.
Non, nisi quæ deceant, canimus convivia; quæque
Vel Cato porrectâ fronte subire velit.
Et quibus assideant, loto tamen ante decenter
Ore, senes Curii, Fabriciique graves.
Risit ad hæc furtim, tacitoque Thalia susurro,
In me nulla mora est: perge, Poeta, sequar.
Quisquis es, alterius qui cœnaturus in ædes
Veneris, ad jussum tempus adesse velis.
Sedula turba sumus semper, sed sedula nunquam
Turba magis, quàm cum mensa parata vocat.
Hinc ego devoveo, celebrat quas fœmina, mensas,
Cui plerunque graves sunt in amore moræ.
Ante, leves orbes quàm digerat illa comarum,
Et certo teretes ordine figat acus;
Et bene descendant operoso syrmate vestes,
Et bene dum capiti stet mitra, vesper adest.
Testis ab Assyrio quondam rejecta Tyranno
Fœmina; sacra cano, parce movere fidem.
Straverat immenso Rex publica fercula luxu,
Proderet ut partas ambitiosus opes.
Consitus eligitur platanis genialibus hortus,
Ingenio ne magis dives, an arte locus?
Ilicet attolli Babylonica vela videres,
Quæ facerent puros, & sine sole dies.
Marmoreis fulcitur opus Regale columnis:
Byssina tornatum lora coercet ebur.
Pars sedet electro, solido pars accubat auro:
Sub pede proteritur vermiculatus onyx.

Par

Par fuit in dapibus luxus: quas pontus, & aer,
  Terraque progignit mensa dat una dapes.
Larga quidem passim, sed libera vina dabantur:
  Vina recusantem cogere crimen erat.
Vertere jamque merum temulenti corda Tyranni
  Cœperat, & compos vix erat ille sui.
Imperat acciri Vasthim: mora nulla vocanti
  Adsit: in has nondum venerat illa dapes.
Semiviri parent: crystalla, & Pyxidas inter
  Stabat inornatis Regia sponsa comis.
Præstò aderant centum primâ de gente puellæ:
  Nullaque non proprium sedula munus obit.
Hæc erat a speculis, speculumque adversa tenebat:
  Altera candentes igne fovebat acus.
Illa Cythoriaci sibi pectinis asserit usum:
  Hæc vacat armillis, torquibus illa præest.
Omnes sedulitas, omnes labor occupat: unum
  Nempè caput tantæ comere molis erat.
Regis ab accitu quæ non sibi plauderet uxor?
  Hæc dolet, exitii causa futura sui.
Mox ait: hæc Regi per vos responsa ferantur:
  Ut veniam, videor non mihi compta satis.
Semiviri responsa ferunt: incanduit irâ
  Rex, solio Vasthi, non mora, cedat, ait.
Sic pœnas dedit illa moræ; tenet altera regnum;
  Et thalamum: crines i cole, stulta, tuos.
Talibus edoctus convivia serus adire,
  Pœna licet levior sit subeunda, cave.
Quis bona cunctando corrumpat prandia prudens?
  Cum Cerere has refugis, Bacche jocose, moras.
Venerit, & pactas sub mensæ tempora merces
  Institor expediet? rursus adesse jube.

Si

Si latus obſideat circumflua turba clientum ;
  Labere , quà cæcum janua præbet iter .
Deproperanda tibi ſit epiſtola ? ſcribere differ :
  Syngrapha ſignanda eſt ? ſyngrapha , cede procul .
Denique nil tanti tibi ſit , quo cætera dicat
  Turba , quid hic tantùm noſter amicus abeſt ?
Non tamen idcirco te matutinus in ædes
  Confer , ubi ad mediam prandia dicta diem .
Tempore fac adeas : ſi contigit ocyus ire ,
  Ne quid turbetur te properante domi .
Utque tibi mordax præcordia vellicet humor ,
  Sunt tamen inſtantis ſigna premenda famis .
Cur toties loculis argentum temporis index
  Promitur ? & juſſos anteit hora ſonos ?
Teque vadaturum primo ſub veſpere fingis ,
  Aut tua clamoſo tecta cliente premi .
Nutibus hic Domini ſtandum : ſermonibus horas
  Contrahe : ſic furtim fallere diſce famem .
Turpe carens fidibus Citharœdus , acinace miles ,
  Diſcipulis Doctor , Cauſidicuſque togâ :
Turpe etiam dulces vir aſymbolus inter amicos ;
  Cœna ubi collato pacta ſit ære priùs .
Sumptibus alterius ſi fortè parabitur , illuc
  Non niſi cum fueris ſæpe rogatus , adi .
Aulica ſunt quædam , nucleoque carentia verba ;
  Altera pondus habent ; utraque noſſe decet .
Conjice de vultu ; vultus certiſſimus index ,
  Fingat , an ex animo ſimpliciterque roget .
Cum tamen hæc fuerint ; convivia rarus adibis :
  Hei mihi lautitiis alea quanta ſubeſt !
Scilicet ut carpas pudibundo ſingula geſtu
  Fercula ; de parvis magnus acervus erit .

Dum

Dum thyma libat apis, nec flore moratur in uno,
  Diſtendunt pingues furta minuta favos.
Farris & ingentem formica exhaurit acervum,
  Pondere dum gracili ſæpè gravata redit.
Ergo ubi ſobrietas, & parca modeſtia peccat;
  Quæ tibi ab effusâ damna timenda gulâ?
Quis furor eſt, procerum cœnis inhiare per urbem
  Cum, quantum ſatis eſt, præbeat olla domi?
Fictilibus ne minus, quàm divitis orbe metalli
  Aut juvat, aut ſtomacho forſitan eſca ſapit?
Num magis in gemmâ demulcent vina palatum,
  Quàm patulo vitreus præſtet in orbe calix?
Solus eris? comites tibi dulcia prandia ſternent;
  Sanctaque libertas, ſimplicitaſque decens.
Arguet hîc nemo, ſi pocula fortè pitiſſas,
  Cumque labris paulò ſi ſit inuncta manus.
Nullus & objiciet, ſi peccant crura ſedenti,
  Aut libet accubitu liberiore frui.
Non ita liber eris, noſtriſque à legibus exors;
  Hoſpita menſa tibi cum ſubeunda foris.
Sedulus hùc igitur, ſolitoque decentior ibis,
  Sit coma pexa recens, ſit ſine labe toga.
Barba nec emineat manibus detonſa magiſtris;
  Neve cavo fruticet naris in orbe pilus.
Quem non offendant liventes ſordibus ungues?
  Turpis & illoto pædor in ore ſedens.
Quem non offendant ſcabri rubigine dentes?
  Perque cavum menti crebra ſaliva fluens?
Ecce puer tonſis præfert mantilia villis,
  Inque manu ſignis aſper aqualis adeſt.
Tu modò vel Parii candorem marmoris æquent,
  Ne dubita modico ſpargere rore manus.

His

His ubi perfunctus, capias ex ordine sedem:
Quam capies, meritis æqua sit illa tuis.
Scrupulus hîc oritur, decimo quod tertius, inter
Convivas, certi funeris omen, adest.
Vana superstitio, quid anilibus obstrepis umbris?
Non facit ad larvas mensa parata tuas.
Quin magis ante dapes bona dicite verba Tonanti,
Et superos tacitis conciliate sonis.
Nonne Deus, quodcunque sapit, quodcunque palatum
Mulcet, inexplicitâ providus arte parat?
Projicit ille suam cunctis animantibus escam,
Munificas quoties pandit ab Axe manus,
Blandiùs hinc sylvis argutula concinit ales,
Non intellectis carmina grata modis.
Et turpes, quâ voce valent, sub gurgite phocæ
Auctori grates persoluëre suo.
Et dubitet quisquam sub primæ fercula mensæ
In sua propitium dona vocare Deum?
Sed jam prima gulæ præludia ritè feruntur,
In quibus ipse suas explicat annus opes.
Ecce tibi lippæ laceris in vestibus adstant,
Quas positâ ficus villica legit acu.
Proxima succedunt dissecta tomacula porcæ;
Felsina quæ doctâ pressit opima manu.
At tu parce dapes invadere, miles ut hostem,
Utque ruit viso vividus Umber apro.
Fila priùs Citharæ fidicen prætentat eburnæ,
Elicit inde manu liberiore melos.
Tu quoque sub primæ præludas fercula mensæ,
Præcipitemque regat sobria dextra gulam.
Ne tua longa putans quisquam jejunia, secum
Dixerit; ut curtas res habet iste domi!

Ad-

Adde quòd & primo cùm limine victa resedit,
Segnior in cursu cogitur ire fames.
Hinc tibi profuerit, caveas quo crimen utrunque,
Appositos lento conficere ore cibos.
Ni facias, quàm multa feres incommoda; morbis
Omnibus ex illo janua laxa patet.
Scilicet hinc pluvio stillantia rheumata naso,
Et quassum tussi subsiliente latus.
Quid, cùm pasta diu vivaci in sulphure febris
Membra per alternos uret anhela dies?
Quid, cùm nodosâ gressus tardante podagrâ,
Quassabis trepidâ lignea fulcra manu?
Aut mala se membris fundet tabentibus Hydrops,
Et formidatis pallidus ibis aquis.
O quot amara bibes medicatis pharmaca succis,
Inque suo plaudet pharmacopola sinu!
Frivola discedant, jam fervida mensa calescat:
Ite procul tenues, vulgus inane, dapes.
Ferte coronatas libis cerealibus escas,
Fumet & in patinis grandibus assa caro.
Nunc locus est cultris; teretes distringite cultros,
Nunc sonet in digitis fuscina curva tuis.
Dic age, dic Erato, Siren blandissima mensæ,
Quis bonus invexit commoda tanta Deus?
Nupserat Oceano, res antiquissima, Tethys:
Evocat hûc omnes pompa marita Deos.
Conveniunt Superi: discumbitur: ordine nullo
Aggestæ stabant, & sine more dapes.
Fagina inæquali fluitabat stipite mensa
Nuda, nec inducto vellere sueta tegi.
Vastus & attritis stabat quoque cantharus ansis,
Qui patulo cunctis funderet ore merum.

Fi-

Fictilis urceolus vetus instillabat acetum,
Et salis, & piperis charta cucullus erat.
Non tulit hoc Pallas, cœtuque adstante Deorum,
Ægide ter motâ talia verba dedit:
Hæccine placatâ convivia mente feremus?
Sordibus his quando, Numina, finis erit?
Hæc licet illuvies Saturnia regna deceret,
Non decet imperium, Juppiter alme, tuum.
Quid juvat in templis nitor, & bene culta supellex,
Si careat cultu sordida mensa suo?
Quot non humanis inveximus usibus artes?
Nos adeò segnes in bona nostra sumus?
Sed quid plura juvant? rem facta diserta perorent:
Non opus est verbis: Dux ego rebus ero.
Dixit, & extemplò mollitum pollice vellus
Ipsa magisterii texuit arte sui.
Ipsa leves mappas, & longa toralia nevit;
Dignus Palladiâ noscitur arte labor,
Plauditur invento: superos agit æmulus ardor,
Expediuntque alacres ad nova cœpta manus.
Mulciber igne potens argillæ fictilis orbes
Dividit, & patinas protinus esse jubet,
In quamcunque velit flammarum munere partem
Ducit inoffensum, quâ valet arte, vitrum.
Jam phialas vastâ turgescere mole videres,
Et tumido trullas crescere ventre breves.
Pocula quàm vario cælavit Dædala cultu!
Mira quot in cyathis extudit arte faber!
Hic brevis, & duplicem præfert tractabilis ansam:
Arduus hic labro vix breviore patet.
Turbinis in morem convolvitur alter acuti;
Hic conchæ speciem præbet, & ille ratis,

Mar-

Martis ad imperium, quo ſe cuſtode tegebat,
Redditus eſt culter, qui priùs enſis erat.
Munere Neptuni, deſit ne fuſcina menſis,
Proviſum, triplici fuſcina dente minax.
Quæque vehi gaudes conchis laſciva marinis,
Tu concham mutas in cochleare, Venus.
Ut digeſta ſuo procederet ordine menſa,
Munia de ſuperis quilibet apta capit.
Mercurius ſectorque dapum, menſæque Magiſter
Eligitur, vafræ dexteritate manus.
Alma parens frugum, tibi cella penaria ceſſit;
Bacche, tibi laticis credita cura tui.
Candida præficitur, quæ pocula miſceat, Hebe;
Iliacus nondum viderat aſtra Puer.
Ut numeris conſtare ſuis convivia vidit
Jupiter, ad ſuperos talia verſus ait:
Non leve quid veſtro perfectum eſt munere, Divi,
Per quos cœpta ſuo menſa nitore coli.
Juppiter hoſpitiis præſum: convivia noſtri
Sunt juris: menſas qui regat, unus ero.
Juſcula, quæque fluunt pingui farcimine pultes,
His aptum dapibus quis cochleare neget?
Nemo tamen tumidis ferventia juſcula buccis
Afflet, anhelanti ne quid ab ore fluat.
Diſplicet & fundo patinas qui radit ab imo,
Tinnitum patinæ per cava labra ciens,
Ergo nihil, fervens quod tergeat unda, ſuperſit?
Munditie, ſuperi, non mihi tanta placet.
Cultro opus eſt ſolidis: ſcindenda tenacia, quæque
Admittunt ægrè fercula toſta manus.
Sciſſile quidquid erit, lævâ tibi fuſcina ſiſtet,
Dexter erit, peragat qui tibi culter opus.

Non tamen ut digitis nihil attrectetur ab ipsis :
  Aptior ad quædam est conficienda manus.
Ostrea, pisciculos, conchas, volucresque minutas
  Quin digitis carpas, non mea jura vetant.
Adde racemiferis lectas de vitibus uvas,
  Quidquid & illicii mensa secunda dabit.
Adjice caseolos, concretaque lacte vetusto :
  Excipe quæ tenero mollia lacte fluunt.
Singula quid nostris comprendere legibus optem ?
  Plurima quæ doceant, tempus, & usus erunt.
Cœlicolæ nova scita probant: peccasse Bimater
  Te primùm constans fama, Lyæe, refert.
Quod fluit, audieras cochlearibus esse petendum,
  Nec satis attentâ cætera mente notans;
Dum biberes, modicis cochlearia potibus implens,
  Visus ad os tremulâ ferre referre manu.
Continuò superi festos agitare cachinnos :
  Bacchus & in cœlo fabula longa fuit.
Nunc mihi si quando tristes discedite curæ :
  Importune dolor pectoris hospes, abi.
Ite sales circùm, succinctaque verba, lepores,
  Ictaque festivis perstrepat aula sonis.
At tibi fortè puer florentibus unicus annis
  Raptus erit, columen, præsidiumque domus;
Creditor aut vultu tibi forsitan instat amaro,
  Torvus & elapsas clamitat esse vices;
Aut mala, quod magis est, clamosaque contigit uxor:
  Et quis non causas, unde queratur, habet?
Si sapis, abstineas conviva sedere per urbem,
  Teque tuæ mœstum protinùs abde domi.
Sin minùs, introrsum tibi cura, dolorque vorandus;
  Signaque erunt luctûs dissimulanda tui.

Cu-

Curia consilio, patet area publica ludis;
Templa sonant precibus, vasta theatra jocis.
Mensa litat genio: genialibus utere verbis:
Lætitiæ locus est; non nisi læta refer.
Hinc procul, o tristes, mala cedite nomina, morbi:
Hinc procul, o mortis mentio tetra, fuge.
Nolo suos casus, si pocula ducat Ulisses,
Aut Priamus mecum, narret uterque mihi.
Ossa verenda Patrum, sine, contegat ima sepulchris
Terra, nec extinctos mensa loquatur Avos.
Quid leges, numerosa juvat quid condere jura,
Si, dum condideris plurima, pauca vigent?
Legis ab admonitu quin irritata cupido
Gliscit, &, ut pecces, sat vetuisse fuit.
Hæc ego præcepi: satis hoc, ut protinus alter
Spernere, quæ dedimus, jura protervus amet.
Tum mala, quæ totâ collegit plurimus urbe,
Ad cyathos recitat mucidus ecce senex.
Ille, quot Autumnus, quot funera messuit Æstas,
Bruma quot è medio sustulit una, refert.
Mox & Massiliæ referens lachrymabile fatum,
Verbosum loculis promit epistolium.
Quàm laxis ramosa lues dein gliscat habenis,
Quæque mali fuerint semina prima, docet.
Multaque tabifero de tubere disputat, addens,
Quàm putre, & quidquid dicere turpe putem.
Læva nec intereà cessat manus: horrida pingit
Funera, diducto sandapilasque mero.
Mox circumvolvens stillantia lumina tabo,
Omnia funestis afflat imaginibus.
Vidi ego tunc, Geniumque loci, torvâque Lyæum
Fronte suas stimulis vix cohibere manus.

Nec ſecus effuſis Cererem lugere capillis,
  Perſephone, raptu quàm foret antè tuo.
Peſſima cede procul noſtræ Cornicula menſæ:
  Cede procul, pluviæ Gracculus auctor aquæ;
Quid, ſi materies irrepſerit iſta? Silendum:
  Nam tempeſtivè qui ſilet, ille monet.
Juverit hæc aditu nec non præcludere primo;
  Si quid in urbanâ dexteritate vales.
Nec mihi ſublimis, clamoſaque quæſtio ſurgat,
  Dum calet appoſito menſa jocoſa mero.
Scilicet hic aliud, quàm dogmata ſancta Lycæi
  Quærere, vel Samii ſcita ſilentis amem.
Me ne canis Cynici latratus ferre moleſtos,
  Poneris in patinâ dum mihi, blande lepus?
Dum flores, Epicure, legens ſpatiaris in horto,
  Applicitus labris me beet iſte calix.
Nunc valeas, divine Plato: convivia ſiccum
  Me tua, prandentem dulciùs iſta juvant.
Parcite Cecropii, doctiſſima turba, Magiſtri:
  Hic ego non ullo partis amore trahor.
Materiem hic componit aquis: componat aquoſus:
  Igne volunt alii ſingula ſtare: velint.
Et mihi Socraticæ patuerunt ſcrinia chartæ:
  Delector placitis, Stoica turba, tuis.
Regula quæ morum, ſancti quis limes honeſti,
  Quæ bona ſunt animi, quæ mala, doctus ego.
Nil, niſi Turpe, malum: virtute quieſcit in unâ;
  Qui ſapiens: merces hæc ſatis ampla ſibi eſt.
Talibus imbutus ſacris pede fata ſuperbo
  Calcat, & humanas deſpicit ille vices.
Ille Perilleo quamvis incluſus in ære,
  Diceret, ò flammâ quàm cruciante beor!

Hæc

Hæc benè nota mihi: promam, cum flagitat usus:
  At simul accubui, dedidicisse juvat.
Quid mihi cum doctis inter tua pocula libris,
  Bacche? loco quisquis desipit, ille sapit.
Ah quoties tibi nostra minùs præcepta secuto,
  Prælia desipient inter oborta dapes.
Verba volant primò, mox jurgia rauca sequuntur,
  Atraque sanguineas ventilat ira faces.
Inde simultatum mala semina: quique fovetur
  Ingenio vinci non patiente furor.
Quid quod sæpe, tibi qui dulcia prandia struxit,
  Mentis inops inter verba diserta stupet.
Devovet & doctos secum taciturnus amicos,
  Qui sapiunt, plus quàm mensa, calixque probant.
Non ego suspiciam vos, vestraque carmina, Vates?
  Pars ego sum vestri quantulacunque chori.
Parcite sed posito recitare poemata Rhombo;
  Verba coronatus respuit ampla calix.
Credite, rem sacram vos primi carmina Vates
  Perditis, & vestro crimine vestra jacent.
Mille modis cogendus erat, si gurgite velles
  Carpathio Vatem paucula verba loqui.
Cæsaris arcanas dum mulcet Horatius aures,
  Hâc sibi non tenues arte paravit opes.
Dum Mœcenati sua rura probaret, & agros
  Virgilius, multis jugera bobus arat.
Vos fora bacchantes, vos horret mensa canentes,
  Nullus & à Musis vicus in Urbe vacat.
Quid mirum, pretio prostat Parnassia nullo
  Si merces, cupidos non habitura viros?
Adde, quòd insulso fucantur melle Camœnæ,
  Et solidam frugem pagina rara sapit.

Cum sacro leges indiceret ore Poesis,
Et populos traheret sub nova jura feros;
Cum decus assereret virtuti robur Honesto,
Atque minax toto perderet orbe reos;
Credita tum munus populis fuit illa Deorum,
Gensque Poetarum res sacra dicta fuit.
Palpitat exectis at nunc ingloria nervis,
Legibus ò quantum degener ipsa suis!
Quo me, Musa, rapis thyrso graviore furentem?
Quo ruis? ò! gyro curre, Thalia, tuo.
Jam mensæ redeant: odi sublimia quanvis,
Non tamen idcirco frivola verba probem.
Parce loqui, quid agatve puer, quid sedula nutrix,
Quidve laris custos fida catella gerat.
Siquid in urbe novi, si quid fora rauca volutant,
Hæc seges eloquio sufficienda tuo.
Aspice, materiem quàm præbeat unus opimam
Eugenius, Latii gloria prima Sagi.
Tu refer, ut Fidei nutantibus undique rebus
Communes Fidei fulserit unus opes.
Utque cruentato Phariis bis cædibus Istro
Fregerit Agmetis multa timentis opes.
Pinge manu Themes stagnantia claustra refusi,
Claustra subalpino non benè clausa Duci.
Pinge, sed apposito Taurunum grande Salillo,
Cui formidato militat amne Savus.
Aspicis, ut nostram flos confluit orbis in urbem,
Romaque sit cunctis gentibus una domus.
Dic age, Vindelicæ Dominator ut inclytus aulæ
Miserit huc thalami pignora bina sui.
Tu quoque materies nostris dulcissima mensis,
Rex patriâ profugus sede Britannus, eris.

Qui

Qui vir, & (ò Superi) quantus! fac cetera desint;
 Staret in hoc uno teste Latina Fides.
Depositum tu Roma ingens servare memento,
 Hoc Thamesis, tacito sed tamen ore, rogat.
Nec minus, & segetem lætis sermonibus aptam,
 Quæ nova prodierint Scripta diserta, dabunt.
Dic age, venturis quæ produnt Arcades annis
 Carmina, magnificum temporis hujus opus.
Si placet exiguos his addere fortè Poetas,
 Nil moror: his nomen Vatibus adde meum.
Prodiit ecce recens, dices, Galateus in Urbem:
 Prostat Agonali publicus ille foro.
Non liber hic tetricæ sapit argumenta Minervæ,
 Grande nec eloquium magna professus habet.
Sed licet exiguo deductus Apolline repat,
 Non tamen urbano dente Poeta caret.
Quoque minùs solitâ perleverit arte Camœnas,
 Is causam, sese quâ tueatur, habet.
Nempe quòd hæc primò pueris florentibus ævo
 Scripsit, ut urbana fingeret arte rudes.
Pharmaca quid refert vitro libentur, an auro,
 Si tamen in vitro non minùs illa juvant.
Cerne, Sophocleis heroum facta cothurnis
 Ventoso tumidus Scriptor ut ore canat.
Ast humiles Comœdus agit per pulpita soccos,
 Cum mores hominum scena magistra refert.
Pro re mollè canit Tubicen, nunc inflat acutùm:
 Non faciat Vates cognitor artis idem?
Nec sibi præthereà Sylvis nova ligna videtur
 Ferre, nec Oceano mittere fontis aquas;
Quòd priùs Etrusco digesserit ore libellos
 Hos Casa, queis nullum doctius extat opus.

Terruit Hesiodi non rustica musa Maronem,
Quo minùs hic caneret, quos canit alter, agros.
Ipsa quot egregiis vexata est Troja Poetis?
Et suus ex merito quemque secutus honos.
Adde, quod hic noster, misceret ut utile dulci,
Dogmata Pieriis vinxit honesta modis.
Pace loquor vestrâ, Scriptores parcite, munus,
Ut doceat Populos, grande Poesis habet.
Demitur asperitas præceptis insita cantu,
Et suus hac monitis concidit arte rigor.
Dulciùs hinc animos medicina illabitur ægros,
Quam bona musæo carmina melle tegunt.
At tibi, quisquis eris, pro me tam vera locuto
Fortunent Superi tempus in omne dapes.
Et jam tempus adest, sic moto vertice Bacchus
Imperat, ingenuum deproperare Merum.
Ferte leves calices, & pocula porgite circum:
Vestra quis, ò Pueri, Brachia torpor habet?
Pocula prævertant monitus submissa frequenter:
Si peccat, peccet sedulitate manus.
Res est dura, Rogo: satiùs data vina recuset,
Non data quàm renuat poscere vina Pudor.
Ore agitare merum, dein hausta refundere vina
In terram, nostræ non finit artis honos.
Nec tibi, cum cyathum libat manus altera Bacchi,
Altera perpetuo pendula fonte fluat.
Hæc sine, quâ laurus monstrat vinosa tabernam,
In lacerâ faciat veste popellus iners.
Non ego sum, cyathis certas qui dicere leges,
Atque tuos haustus dinumerare velim.
Scilicet huic vitro mens naufraga torpet in uno,
Nil titubat sumptis ille, vel ille decem.

Tu

Tu lex esto tibi, tu certaque norma bibendi,
Tu, tibi quid valeas ferre, Magister eris.
Quis, nisi mentis inops, in mutua bella lacessat,
Quo se vincendum viderit hoste priùs?
Quis, nisi mentis inops, quo se sciat igne cremandum,
Admotâ prudens excitet usque manu?
Tu quoque si metas prætergrediere bibendo,
Et nocitura trahes pocula, stultus eris.
Non ego pampineos vellens a stirpe racemos,
Legibus adscribam, dure Lycurge, tuis.
Quid facis, ah demens? quid fœta tumentibus uvis
Ubera naturæ, Sanguinolente, secas?
Scilicet hanc primo depulsis ubere mammam
Admovet, & rubro mascula lacte beat.
Inde novus per membra vigor turgentia serpit,
Et liquidâ gliscunt viscera pasta dape.
Inde quies animis curarum mole gravatis,
Nubila tetra mero discutiente, redit.
Nempe nocent etiam? si cuncta nocentia tolles,
Ne nimis ipse velis tollere multa, vide.
Tolle, age, divitias; sunt hæ fomenta malorum:
Sed quis, opes posthac qui bene donet, erit?
Tolle simul gladios: grassator abutitur illis;
Militis at justo cingitur ense latus.
Nequitiam demis, segetem virtutibus aufers;
Fortiùs hæ crescunt proximitate mali.
Quid quod deciperis, bone Legislator aquarum,
Nomen & hoc ipso perdis, inepte, tuum.
Lex quæcunque vetat, non destruit illa vetando:
Tu facis: an legum conditor esse potes?
Huc bona vina mihi; nam si mala vina vetabat,
Hoc aliquâ dignus laude Lycurgus erat.

Dos sua cuique loco est; studiis viget altera belli,
Altera Palladiâ gens magis arte viget.
Dat celeres Epirus equos: Sicyonia tellus
Fert oleas, gemmas dives Erythra parit.
Thura legunt Arabes, tenuissima vellera Seres,
Gargara dant segetes, India mittit ebur.
Bacchus in Etruscis regnat mitissimus oris,
Hic parit ille simul, quidqnid ubique parit.
(*) Artimina bibis liquidos imitata pyropos,
Sanguine jamque novo vena tumebit anus.
Dolia cui Vallis fecere bibacia nomen,
Pocula Bassaridum gutture digna dabit.
Chantia si plenis hauris generosa culullis,
Præcipiti fugient cura, dolorque gradu.
Politianus ager qnæ dat bona vina, Lyæus
Creditur in mensas seposuisse Jovis.
Quò magis ipse datis sapientiùs utere donis,
Nec gladio demens conficiare tuo.
Usus divitias, usus commendat honores.
Non bona res laudem, sed bonus usus habet.
Igne procul friges, justoque propinquior ardes,
Nec prope, nec longè qui sedet, ille calet.
Prodigus es vini? ferves; frigebis, avarus:
Fac modico tepeas, inter utrumque, mero.
Vidi ego, ab affuso quæ tacta vigeret olivo,
Pallade mox nimiâ consenuisse Facem.
Quas acuit vires Bacchi moderatior usus,
Obruit ingesti copia larga meri.
Non bibit, immani qui pocula proluit haustu,
Mergitur hic potiùs; qui sitit, ille bibit.

Tur-

(*) *Laudatissima Ætruriæ Vina. Vinum, vulgò* Attimino. *Chianti Val di botte.*

Turpe virum titubante gradu, blæſoque palato
  Non intellectis frangere verba ſonis,
Quid non noſſe ſuos, quid ſingula cernere bina,
  Stantiaque appoſitâ tecta tenere manu?
I procul, Ebrietas, tranſcende libentiùs Alpes;
  Non facit ad mores Itala menſa tuos.
Illic invenies temulenta cadavera vino,
  Attonitoſque greges, & ſine mente pecus.
Sternitur hic, labat ille tremens: vomit arte Lyæum
  Alter, & ad Bacchi fortior arma redit.
Has ſi fortè recens adveneris hoſpes in oras,
  Quid tibi præſtandum, non mora longa, canam:
Si potes, oblatæ certamina reſpue pugnæ;
  Dicque laceſſenti, vincimur ante tubam.
Si minùs hæc valeant, ſtomachum cauſatus inertem,
  Hauſtu libabis pocula ſumma levi.
Cernis ut in vino Venus innatet, ipſaque falcem
  Exacuat ſumpto trux Libitina mero?
Fac tibi ſuccurrat Pellæi menſa Tyranni
  Ebria, & humano Sanguine ſæpè madens.
Fac tibi ſuccurrant tractata Bimembribus arma,
  Cum crater, belli teſſera, vaſtus erat.
Hinc comes urbanis pudibunda Modeſtia menſis
  Aſſideat, cœnæ norma ſit illa tuæ.
Diluat hæc cyathos, & pocula parca miniſtret.
  Proque modo ſtomachi ſuggerat uſque dapes.
Si quid ſcindendum, nil parte ſecabis iniquâ,
  Quò potior patinas impleat eſca tuas.
Officiis pugna: ſua ſunt certamina menſis,
  Miſſa per alternas mutua dona vices.
Parce tamen ſociis quod prælibaveris ore,
  Et dare dimidias, fruſta inhonora, dapes.

Sæ-

Sæpe mihi ſtomachum res hæc fœdiſſima movit;
Et faſtiditos reddidit una cibos.
Excipe, ſi quis erit, qui munere major, & ævo,
Fors velit e patinâ te quid habere ſuâ.
Protinùs aſſurgens, & flexo vertice, dices:
Immerito tantus quî mihi venit honos?
Non hæc fatidicæ cecinerunt dogmata quercus:
Nulla mihi Aſcræis numina viſa jugis.
Uſus opus movet hoc: dominatur in omnibus Uſus:
Hoc duce vix unquam decipiendus eris.
Sæpe puer, memini, ſenioris ab ore Magiſtri
Pendebam: dubiæ dux erat ille viæ.
Hic poſiti nunquam guſtaſſet pocula Bacchi,
Quàm biberet, meritis qui foret ante, prior.
Sic ego nec poſiti guſtabam pocula Bacchi,
Quàm biberet præſtans conditione priùs.
Confectâ non ille priùs conſurgere menſâ,
Quàm cuperet ſigno cetera turba dato.
Sic ego non auſus menſâ conſurgere primus,
Cetera quàm menſæ ſurgeret orbe cohors.
Et tibi profuerit, ſi quid titubaveris anceps,
Alterius normâ clam præeunte regi.
Quod facit hic, facias: geſtum hic moderatur edendi;
Quoſque colit ritus, dum bibit ille, colas.
Turpia ſunt quædam, nulloque docente cavenda:
Videris hæc; refugo protinus ore notes.
Ut cum denſa putri quis reumata promit ab ore,
Tuſſit, & horridulo perfricat ungue caput.
Aut Suis in morem menſæ projectus anhelat,
Sive bibens clocitat, ſive coaxat edens.
Sed ſatis: obtutu tibi ſumma patebit in uno:
Aſpice; quid caveas, parva tabella docet.

For-

Fortè fuit Juvenis qui ſanguine clarus avorum,
Decolor, & proavis inficiandus erat.
Oderat ingenuas divinæ Palladis artes,
Oderat Aonias, Numina ſancta, Deas.
Non ſpumantis equi compeſcere colla lupatis,
Non agitare leves per juga ſumma canes;
Plaudere non choreas ſolitus, non eminus haſtam
Mittere, nec ficti Martis amore capi.
Nil, niſi venter, erat, perdendis frugibus aptus;
Vix numerus, moles carnea, pondus iners.
Lætior at nunquam, quàm cum ſine lege ſedenti
Diſtraherent dubiam fercula denſa famem.
Illicet in menſâ cubito reſupinus inhæret,
Olfactuque cibos proximiore probat.
Scindere nil ſolitus, manibus rem ſtrenuus urget:
Barbara vox illi, Fuſcina, Culter erat.
Mandit utriſque genis, luctantia fercula dente
Scindit; & in mentum ſordida jura fluunt.
Quàm ſibi non diſpar? cùm pocula vaſta Lyæi
Haurit, &, ut ſacris, dextera parcit aquis.
Ecce paludatus patinæ committitur amplæ
Adriacæ rhombus maximus hoſpes aquæ.
Ilicet exſurgit prædæ mirator opimæ,
Miles & egregius gaudet in hoſte pari.
Linea mappa fuit, quâ frontem tergeret udam;
Quâ lineret nares, linea mappa fuit.
Grandibus hinc maculis mantilia fœda videres,
Purpurat effuſo ſordida menſa mero.
Victa fames epulis, ſed non gula victa reſedit;
Pluraque cùm nequeat, plura vorare cupit.
Pectore tum mœrens ſuſpiria fundit ab imo,
Et tales crudo ructat ab ore ſonos.

Tu

Tu ne parens generis, Natura, vocabere noſtri ?
  Digna quidem dici fœda noverca magis.
Nos paris ad miſeros genitrix inviſa labores :
  Hoccine materni pignus amoris habes ?
Qualis ubi, laceram vento jactante carinam,
  Expuitur tumidis navita nudus aquis;
Non ſecus ad vitam nudi, flenteſque vocamur,
  Quos labor hinc ulnis excipit, inde dolor.
Quid loquor, ut primos Pallas ſibi vendicet annos ?
  Heu natum ludis barbara tempus habet!
Pallade defunctos ubi firmior occupat ætas,
  Per varios vitæ cogimur ire gradus.
Hic orat cauſas, clamoſaque jurgia miſcet,
  Tractat & inſani garrulus arma fori.
Ille togâ fretus popularibus incubat auris;
  Hic ſequitur pugnas horridus ære truces.
Alter gemmiferos properat mercator ad Indos,
  Stultus & in mediis funera quærit aquis.
Neſcio quâ raptos miſeræ dulcedine famæ,
  De mediâ quoſdam nocte lucerna videt.
Mille per ærumnas, rerum diſcrimina mille,
  Quæ merces tandem quæritur ? una; cibus.
Quàm brutis natura feris ſe prodiga contrà
  Effudit largo, mater opima, ſinu.
His vitreos fontes, his prata virentia ceſſit:
  Quâ patet, his têllus publica menſa jacet.
Quod magis invideã, non tempora longa morantur;
  Apta ſed ad paſtum quælibet hora venit.
At nos, qui vano brutis præſtamus honore,
  Bis tantùm certo tempore menſa manet.
Hic quoque quàm multis convivia legibus horrent;
  Tractandus quantâ relligione calix.

Sic

Sic bibe, ſic digitos moderaberis inter edendum;
Sic accumbendum eſt, ſic agitanda manus.
Felices tauri, quibus omni lege ſolutis,
Ut libet, in ſtabulis accubuiſſe licet.
Quid gula, quod puncto vix circumſcribitur uno?
Quodque ſapit, fluxu prætereunte ſapit.
O ego, ſi fierem totus gula, totus & eſſem
Venter, quàm ſaperet dulcius eſca mihi!
Quid mihi vobiſcum, vaniſſima Numina, Muſæ,
Quid mihi vobiſcum, Bellerophontis aquæ?
Æternùm jubeo valeas mihi, tetrica Pallas:
Tu tibi, Phœbe, tuæ præmia frondis habe.
Audiit hæc dudum Parnaſſi rector Apollo,
Quodque cupis, poſthac improbe fiet, ait.
Nec mora: lunato ſinuoſis cornibus arcu,
Mittitur in pueri lecta ſagitta caput.
Protinus in collum cervix tenuatur acutum,
Quodque fuit pectus, fit via longa gulæ.
Jam ſcapulas ſubeunt alæ, jam pluma capillos,
Inque Gruis formam nubila ſumma ſecat.
Quin & litterulas, odii monimenta prioris,
Nunc quoque deformi ſub pede ſignat avis.
Grande gulæ ſpecimen pueris, pariterque puellis,
Dum mea, fœde Puer, Muſa legetur, eris.
Dum tener eſt, primiſque riget paliurus in herbis,
Providus ex imâ vellit arator humo.
Dum tener eſt, nec adhuc ſerpit per proxima Cancer,
Arte Machaoniâ qui valet, enſe ſecat.
Vos quoque naſcentes a ſtirpe recidite peſtes,
O, quibus eſt prolis provida cura ſuæ.
Sera venit, quæcunque venit puerilibus annis
Cura: vel in cunis incipe, Serus eris.

Si

Si malè lallavit nutricis ab ubere pendens,
  Si lac turgidulo traxerit ore procax;
Si torvùm ſpectet, ſi lanea vincla recuſet,
  Non impunè, licet ſit leve crimen, eat.
Hæreat hinc puero morum, vitæque Magiſter,
  Protinus urbanum quo duce ſignet iter.
Si quid in accubitu, ſi quid ſub pocula peccat,
  Vapulet erroris conſcia dextra ſui
Forſitan hunc ſpectans lacrymantem frigida mater,
  De ſenis excutiet flagra ſevera manu.
Et ſimul ò maneant, cenſor bone, verbera natos
  Iſta tuos; noſtri parvula culpa quid eſt?
Parvula gutta quid eſt? aliis tamen addita guttis
  Perdidit innumeras gutta vel una rates.
Quid ſumptus levis eſt? levibus ſed ſumptibus hauſta
  Sæpe vel ingentes interiiſtis opes.
Amphitheatralis pendentia rudera molis
  Cernis, & antiquo ſaxa pereſa ſitu?
Fallitur, hæc taciti qui diruta morſibus ævi,
  Hauſtaque præcipiti turbine fortè putat.
Exiguum parvæ volucris de gutture ſemen
  Excidit, hoc terræ gleba puſilla fovet.
Additur huic tenuis pulviſculus: educat imber
  Hunc levis: occulto caudice findit humum,
Jam nemus eſt ſemen: parvo de ſemine tandem
  Magnum Romanæ concidit artis opus.
Hæc inſulſa tuo reputes fac pectore, Mater;
  Hinc nati, dices, parvula culpa mei eſt.
Nunc mihi quid cœnæ Dominus, Conviva, Miniſtri
  Expediant; ſummâ parte docendus ades.
Quiſquis es, ad cœnam mihi qui condixeris; iram,
  Vel ſi cauſa ſubeſt juſta, cavere velis.

Vidi

Vidi ego compressis dominum turgescere labris,
  Cum caderet pueri fracta patella manu.
Quòd si fortè calix casu periisset eodem,
  Illum alapa impressis turpiter ire genis.
Hæc ubi contigerint, coacescit mensa palato;
  Sit licet illa tuis dulcior, Hybla, favis.
Acria mandentem spectabam nuper, & ecce
  In mea jam tristis venerat ora sapor.
Dulcia mandentem, confectaque melle videbam,
  Protinus inque meo gutture dulcor erat.
Sic bona mens, aliena putans sua gaudia, secum
  Gaudet, & alterius tacta dolore dolet.
Adde, quod & Domini tibi crimen inuris avari,
  Cum tulerit fractus prælia tanta calix.
Quid quod & aptus erit minùs ad sua munia servus,
  Quem Domini toties attonuere minæ.
Lux oculos quæ rara juvat, densissima turbat:
  Qui nimiùm stimulis pungitur, hæret equus.
Dixerit hic aliquis; famulos dimittere præstat,
  Si minùs hos Dominis increpuisse licet.
Nempe tuis liceat cùm nullus in ædibus hospes;
  Dedecet hoc, coram cùm tamen hospes adest.
Huic primas concede libens, huic subjice fasces,
  Huic breve jus cedas, arbitriumque domûs.
Divitis in cœnâ cum fortè vocatus adessem,
  Pœnituit, quamvis cœna beata foret.
Quid fuit in causâ? dicam; lautissima vultus,
  Qui mihi condiret fercula, nullus erat.
Massica sepositis promuntur vina lagenis:
  Vina nihil, vultu quòd caruere, placent.
Digna tuis Luculle aderant convivia mensis:
  Nullus in his, vultu deficiente, sapor.

Quàm ſubamara meo, nec erant, ſunt viſa palato
  Fercula? quàm, nec erat, perlita felle Ceres?
Ecce ſub hæc Pauper cœnam condixit: adimus:
  Structa erat, heu, quantum triſtibus illa cibis?
Cetera pauper erat, dives tamen ore; beavit.
  Nectar & huic mallem poſthabuiſſe Jovis.
Vappa fuit vinum, ſed quanvis vappa, placebat:
  Fallor, an & vultus, qui biberetur, erat.
Juſcula quàm ſapiunt? ſapiunt nec juſcula quidquam:
  Quàm pinguis? nec erat, ſed mihi viſa penus.
Re lapidoſa fuit, re furfure lurida nigro;
  Commoda ſed vultu facta latente, Ceres.
O', quibus eſt epulas alliis ornare cupido,
  Hos memori monitus figite mente meos.
Quis furor in cœnis patrios effundere cenſus?
  Sit modus, o; frugi pars bona ventre ſumus.
Quod caput eſt, comem patinis apponite vultum:
  Credite: pars cœnæ maxima, vultus erit.
Non tamen officiis amor eſt captandus ineptis:
  Diſplicet interdum velle placere nimis.
Melle laboratas hic faſtidiverit offas;
  Abſtinet appoſito ſobrius ille garo;
Pinguibus ille ſibi pulmentis temperat; alter
  Innocuum capiti non fore jurat aprum;
Cogendus tibi nullus erit: vèl munera ſordent,
  Cùm quis in invitas conferat illa manus.
Quem non occidunt? Bibe rurſus: confice; nondum
  Eſt ſatis: ah nimiâ pocula perdis aquâ.
Hæc licet excuſet, purgetque domeſticus uſus,
  Non tamen urbanâ labe carere putes.
Nempe minùs liber poſthac conviva recumbam;
  Et tacito dicam murmure; Cenſor adeſt.

Sæ-

Sæpe mero fallam labris primoribus hausto,
Furtivâ invergens vina relicta manu.
Sæpe cibos fingam me mandere, mansa catellæ
Te clam, sub mensâ quæ latet, exta dabo.
Plaudite, Convivæ, vultuque rependite vultum,
Et date lætitiæ candida signa, Boni.
Ista dapes merces interſecet, ista ſequatur:
Hoc Domino pretium perſoluiſſe decet.
Huic de more cohors per dulcia pocula vitam
Ultra Neſtoreos libet amica dies.
Huic ſi frater erit longinquis hoſpes in oris,
Hunc etiam jubeat ſæpe valere calix.
Inde bonæ valeantque Nurus, valeantque ſorores,
Totaque gens hauſto deveneranda mero.
Forſitan huic parvuſque nepos hærebit; & illum
Excipe complexu, blanditiiſque fove.
Ingeniumque ſimul metitus ab indole, dices;
Agricolæ quantam ſpem facit iſta ſeges!
Ultima pars ſupereſt, menſæ quæ cura, Miniſtri,
Veſtra ſit; hîc facto fine quieſcet opus.
Quis dubitet, primi florentem viribus ævi
Quin mihi, qui cyathos præbeat, eſſe velim?
Nempe ſenex tremulâ mihi pocula fronte miniſtret?
Nempe dapes tremulâ porrigat ille manu?
Inter opus ſubitâque pedes remorante podagrâ
Ejulet? & manibus diſcus, & eſca fluant?
Non tamen idcircò cirratulus adſtet ephebus,
Fœmineo ſolitus pingere more genas.
Ipſe nec in cœlo magni pincerna Tonantis,
Iliacus caruit ſuſpicione Puer.
Quæ media eſt ætas inter juvenemque, ſenemque,
Hæc placet; hanc prudens elige; tutus eris.

At cave deformes, nimiâque gravedine tardos;
Luminibus læsos, loripedesque fuge.
Sedulus in primis tibi sit, promptusque legendus:
Plurimus a celeri sedulitate favor.
Pareat ad nutum genii captator herilis,
Jussaque de Domini prælegat ore sagax.
Quid strepitu cultri, quid tinnituque salilli,
Calleat, & tussi quid velit ille levi.
Sit mare compositum, sit leniter unda tumescens;
Cui mea se tutò credere cymba velit.
Ipsa salutares sensim bibit altiùs imbres,
Arida cum modicis terra fovetur aquis.
Prandia cur subito modò concitâ turbine fervent,
Nunc eadem vento deficiente cadunt?
Lancibus en subitò, patinisque tumescit obesis;
Protinus en vacuo detumet orbe torus.
Sedulus hæc norit, prudensque cavere minister.
Peccantem propriâ nam quis in arte ferat?
Ne quid turpis hiet, ne mensa dehiscat inanis;
Ex intervallo suggerat ille dapes.
Nec patinam, conviva loco quàm velle moveri
Innuat, hanc mensâ detrahat antè Puer.
Non ego signa dedi, nostrâ quod ab arte vetabar;
Sed tamen urebat bilis amara jecur.
Scilicet urebat, cùm clandestinus amicam
Pæne meo patinam sustulit ore Puer.
Sustulit, & latitans absorbuit: inde perunctâ
Ore, tulit furti sordida signa sui.
Stulte, quid aggeminas crimen, Puer? ablue sordes.
Hic scelus illuvies, quàm gula, majus habet.
Nam quid erit posthac, horum si fraude laboret,
Quorum servari debet ab arte nitor?

Et quid tecta juvant operoso splendida cultu,
  Pictaque barbaricâ texta superba manu;
Si lacer, & turpis famulatus in ædibus adstat,
  Sitque cohors Domino pæne pudenda suo?
Illo præcipuè sed tempore, sacra Lyæi
  Publica cum fervent; omnia munda decent.
Fuscinulæ niteant, referant cochlearia vultum:
  Sit sine labe toral, sit sine sorde calix.
Tunc quoque recta cohors mensam circunstet herilem,
  Et bene pexa comas, & bene lota manus.
Non quodcunque licet, pariter decet; at licet omne
  Quod decet: exemplis res liquet ista suis.
Quis Phalaris tussim, vetuit quis sputa Procustes?
  Ut minùs hæc deceant, mensa superba facit.
Quid mihi, stulte Puer, stomachum facientia præbes
  Pocula, dum tussis succutit ægra latus?
Quidve dapes spurco mihi rheumate turgidus afflas?
  Quidve scabis fœdo turpiter ungue caput?
Quàm malè cancellata sedent tibi brachia tergo!
  Dextera suspectâ quàm malè parte latet!
Quàm, si fortè cinis sedeat, malè discutis escas
  Flamine! post ventum sæpè sequuntur aquæ.
Alter at ecce sales, & quidquid mensa latrarit,
  Et quidquid cyathi desipuere, refert.
Ergo, quod apposito lusit conviva Lyæo,
  Candidus ingenui simplicitate meri;
Evolet, & totâ tuba publica personet urbe,
  Pugnet & in Dominos mensa jocosa suos?
Hæc mala fac ullo gliscat sine vindice pestis,
  Quantus erit Domino conscia mensa timor!
Finis adest mensæ: cubito conviva soluto
  Oscitat, & dentes cuspis eburna linit.

 Me

Me quoquè jam fessis subeuntem littora velis
    Par est quassatæ membra levare ratis.
Talia dicebam; foribus cum spontè reclusis
    Fulsit ab insolito parva nitore domus.
* Ecce vir aspectu sese venerabilis offert,
    Visus & est quiddam majus habere viro.
Nota mihi facies; nec erat bene nota; sed illi
    Obtulerat similem multa tabella virum.
Dum tamen ancipiti dubitabam mente, quis esset?
    Ipse color vestis prodidit esse Casam.
Præsulis in morem violâ pallebat amictus,
    Et toga carbaseo conspicienda sinu.
Non secus, ac viso fingit puer ora magistro,
    Utque suum miles flectitur ante ducem.
Sic me collegi, pudibundaque lumina fingens;
    Urbanæ, dixi, Legifer artis adest.
Fluxerat ad talos mihi zona volubilis imos,
    Adducta est celeri zona voluta manu.
Pulvis, Avana, tuus tunicæ turpaverat oras,
    Excussus digito pulvis, Avana, tuus.
Sensit ubi nimiâ me relligione teneri,
    Verba per hæc nostros sustulit ille metus.
Ars mea, tu nosti, quàm parcat amica Poetis,
    Quosque suis curis docta Minerva terit.
Nempe diu volucris fessos indagine veri
    Sollicitâ mendas pendere mente leves?
Quid refert, dum compta minùs tibì cingula peccant;
    Si, minùs ut peccet publica vita, facis?

Quid

* *Sæpe a me in his libellis, & nunquam satis laudatus Joannes Casa, qui Dialogum de moribus, cui Galateus nomen est, Etruscâ linguâ pol issime scripsit, quemque Etrusci Senis sub nomine invenies hic aliquando appellatum.*

Quid mihi pulvillus tenuis, si carmine frugi
    Tergis inurbano pectora crassa situ?
Gratulor ipse tuis, Vates dilecte, Camœnis,
    Nostra quòd egregius miles in arma venis,
O quotiès fuso mihi victor ab hoste redibis,
    Cum Juvenum incipies publicus ore legi,
Multa quidem noster docuit Galateus; at unus
    Omnia non potuit ferre, brevisque liber.
Namque ubi densa viret, semperque uberrima surgit,
    Non nisi multiplici falce premenda seges.
Vel nunc: ecce tibi nova gens erupit in auras;
    Pessima gens; nostri prorsus honoris inops.
Hæc, ut avos quondam nondum sat nota latebat;
    Tempus ad hoc certâ sic quoque voce caret.
* Cursitat huc illuc gens desidiosa per Urbem;
    Hoc & agit tantùm sedula, ne quid agat.
Nomen & officii ventri prætendit honestum;
    Re tamen has muscas non nisi mella vocant.
Hæc quoque necte tuis jentacula dulcia mensis,
    Et brevis hæc summum fimbria lambat opus.
Tunc ego ab insolitæ perculsus imagine lucis,
    Hæc retuli contrà, lumina fixus humi,
Quantus honos, humilesque lares, & adire Penates
    Exiguos, tantum non puduisse virum?
Non tu vivendi pariter, pariterque loquendi
    Doctor, Apollineæ summus & artis apex?
Fama quidem tenuis, rumorque incertus ad aures
    Venerat, hoc hominum vivere in Urbe genus.

* *Exotici quidam Aulici, vulgò* Galoppini, *fortasse ita dicti à cursitando, & officii specie magnorum Principum aulas celebrando, præsertim ubi Xeniis, aut repotiis vel ante, vel post meridianis magnus aliquis Hospes excipitur.*

Quî tamen ingenio, vitâque remotus ab aulâ,
  Hæc valeam numeris inseruisse meis?
Fac aulas celebrem; villoso gausape tectum
  Me salibus carpet Turba Togata suis.
Adde quod & famuli, qui Principis atria servant:
  Serica non vestis, Vir bone, vade procul.
Scilicet hæc terrent? vafros eludere servos,
  Ne dubita, nostri cura laboris erit.
Annulus hic ambos cupidis obtutibus aulæ
  Tollet, & haud visis cuncta videnda dabit.
Exitus in promptu est; gemmâ protectus amicâ,
  Per fora non ulli cognitus ampla feror.
Nec mora: Patriciis succedimus ædibus ambo;
  Structa ubi quæ Regem pompa deceret, erat.
Distrahor hinc illic per tot miracula luxus;
  Et, dum contemplor singula, plura trahunt.
Hic rapit attonitum tabularum picta supellex,
  Grajugenas possent quæ decuisse manus.
Hinc revocant Pario spirantes marmore formæ,
  Grajugenæ possent quas meruisse manus.
Alliciunt prisco fabrefacta toreumata cælo:
  Alliciunt altis pendula vela tholis.
Qualiter æquato pugnantibus impete ventis,
  In mediis hæret fixa phaselus aquis;
Sic spectata pari dum me rapit arte supellex,
  Constitit attonito dulcis in ore stupor.
Jamque novum fallente gradu conclave subibam,
  Pone sequens Comitis multa docentis iter.
Hic mihi mensarum sese longissimus ordo
  Obtulit, & dominæ pegmata structa gulæ.
Quam variis illusa modis chrysendeta vidi!
  Murrhina Dædaleâ quàm bene ducta manu!

Vis

Vis Ligurum confecta focis, & melle Sicano
  Rorantes offas? copia magna subest.
Crustula Parthenope vel quæ generosa laborat,
  Quæque Sabauda manus? copia dives adest.
Quid dulci concreta gelu carchesia dicam,
  Frigoraque in liquidas crescere jussa dapes?
Hæc violæ referunt primum vernantis odorem,
  Hæc, quod fraga jugis lecta recenter, olent.
His expressa tuum largiris, Amygdala, nomen:
  Nomen & his vestrum, Persica mala, datis
Sunt quæ lacte novo, spumisque tumentibus albent:
  Cinnama sunt, Cerasi, Mexiacusque latex.
Fervet opus: tumidis æratas ventribus ollas
  Succutit hac illac irrequieta manus.
Hic digitum intendente Casâ, fœdissima primùm
  Est mihi per certas cognita turba notas.
Ecce: viden? cui manca pedes pertingit ad imos
  Vix toga; Lurconum Dux præit ille gregem.
Ille, Viden? macie confectus, & ore canino
  Esuriem spirans; pila secunda regit.
Hi, quos incessus reliquis discernit agrestis,
  Ultima militiæ signa gregalis habent.
Intereà strepituque pedum, strepituque rotarum
  Principis adventum conscia nola docet.
Jamque bipartito volat agmine lecta juventus.
  In manibus pateræ, densaque liba sonant.
Aulica gens modicis sua perlinit haustibus ora,
  Dumque bibit, comptos spargit ab ore sales.
Lac aliquis prædulce bibens; hoc suspicor olim
  Lac dabat infanti Cressa capella Jovi.
Hic summis libans mellita Cydonia labris;
  Fallor? an hoc pomo trux Atalanta stetit?

Al-

Alter; an hic bibitur sitis, & sitis ipsa sititur?
 Tantale an hanc velles forte sitire sitim?
Nil tibi cum salibus, Lurconum turba, jocosis;
 In manibus cyathi; remque potenter agis.
Quàm fœdi rictus, vastæque sub ore lacunæ!
 Indefecturæ quanta vorago gulæ!
Plùs tamen argentum gens hæc, plùs esurit aurum,
 Quàm gelidæ succos, quàm tua liba, Ligur;
Vascula fortè videt cælata decenter, adhinnit;
 Hamus inest oculis, unguibus hamus inest.
Hic suspecta diu cochlearibus oscula figens;
 Quo valet, argenti frustula dente secat,
Ille scyphum, pateramque tenens; si fortè sigillum
 Abstrahat, infixo fortiter ungue premit.
Jam furtim mappæque volant, nitidique tridentes;
 Vascula jam miris cedere visa modis.
Pervigil ut custos sibi rem decedere sensit,
 Plùs quàm Stentoreo protinus ore tonat.
Furibus aula patet; famuli prohibete: quid inter
 Ingenuas fuci nidificantur apes?
Servorum truculenta manus distringere fustes;
 Attonitosque minis, verberibusque sequi;
Præcipites fugiunt, aulâ ridente, catervæ;
 Furtaque callidiùs quàm sua terga tegunt.
Dum fugerent, loculi, collisaque vasa sonabant,
 Voxque latrocinii tinnula testis erat,
Dum fugerent, loculis imprudéns excidit uni
 Scheda, per has, memini, deproperata notas.
Frons erat hæc: Cupidis alienâ vivere quadrâ
 Carmine præcipitur, quæ peragenda, brevi.
Aulica quotquot erunt primùm solemnia Romæ
 Disce, quibusque frequens pompa futura locis.

Sunt,

Sunt, quæ lauta parùm, modicisque paratibus algent;
 Altera regifico structa nitore decent.
Utraque semper adi: referes in dispare lucro
 Hoc tamen, ut nunquam cesset ab arte manus.
Cum venies, fac comptus eas, cultusque decenter
 In speciem; curat, quod latet, Aula nihil.
Aspera nil refert intus te cannabis urat,
 Si toga, cæsaries, pallia pexa foris.
Ære tamen minimo, vel, quæ laus maxima, nullo
 Fac tibi stent; artis summa sit ista tuæ.
Indue vel raptos vili de funere crines:
 Arte tamen mendas dissimulante tegas.
Pendula venali prostant quà pallia filo,
 Sume, nec antiquo despice more togam.
Commodet ut vestes, lucri captandus Apella
 Parte tui, aut etiam decipiendus erit.
Dixeris empturum, si luce probaveris unâ;
 Defunctamque suo munere redde togam.
Si callosa tibi, gentemque accuset agrestem,
 Pelle sub imposita callidus abde manum.
Pallia composito sinuosa volumine circum
 Qua toga deterior fac tibi parte premant.
Si pes in lacerâ fluitet malè nixus alutâ,
 A podagrâ dices intumuisse pedes.
Hactenus artis habes documenta levissima nostræ;
 Intima nunc artis, quæ doceare, dabo.
Crustula qui dominâ tantùm venatur in aulâ,
 Is puer est; nostrâ nil & in arte sapit.
Nos capit argentum, solidoque movemur ab auro;
 Pocula nos, pateræ, fuscinulæque trahunt.
Cum venies, mediæ te protinus insere turbæ:
 Consilium, quid agas, turba locusque dabunt.

An-

Angulus extremæ vel te ſubnubilus aulæ
  Fac capiat; noſtris lux minùs apta dolis.
Stannea vaſa feres, vel cuprea pocula tecum,
  Cælatas variis fuſcinulaſque notis.
Dixeris, hæc quorſum? loquitur res ipſa; reponens
  Vilia, clam loculis aurea conde tuis.
Multa ſuperfuerant; lacerans in fruſta papyrum,
  Indignabundo cum fremit ore Caſa.
Non opus hîc elegis, Vates, imbellibus: illos
  Tela Lycambeo perlita felle manent.
Plurima diſcedens, & qualia? credidit Heros
  Auribus, at certo tempore digna premi.
Avolat hæc inter Præſul mihi: non ſine riſu
  Me recipit parvo cella beata ſinu.
Plaudite: votivâ puppim redimite coronâ,
  Quæ maris immenſum ſalva peregit iter.
Vos Pueri veſtro, Juveneſque aſſurgite Vati,
  Turbaque militiæ ſigna ſecuta meæ.
Quod ſi fortè meas donabitis Urbe Camœnas,
  Præmia ſat noſter tum feret ampla liber.
Nunc age: Pimplæâ devinctus fronde capillos,
  Hæc ego juratus ſpondeo, Phœbe, tibi.
Donec ero (cineres laus hæc pertingat ad ipſos)
  Urbani Cultûs ſemper amator ero.
Donec ero (belli tuba concinat ænea ſignum)
  Semper Inurbani Nominis hoſtis ero.
Grande Sacramentum dictum eſt; ſubſcribite: ceſſant:
  Hei mihi, quàm pauci gens bene culta ſumus!

F I N I S.

